IOANNIS BAPTISTAE SVSII,

PHILOSOPHI, AC MEDICI MIRANDVLENSIS.

LIBRI TRES.

De Venis Edirectò Secandis;

In quibus Matthæi Curtij præceptoris sui sententia defenditur, aduersus Andream Turinum, Benedictum Victorium, Victorem Trincauellium, & Andream Vesalium.



CREMONAE,

In Ciuitatis Palatio, apud Vincentiũ Comitem,

M. D. L I X.

AMPLISSIMO PRAECLARISSIMOQVE VIRO FEDERICO GONZAGHAE,

IO. BABPTISTA SVSIVS,

S. P. D.





CRIPSERAM ſuperioribus annis; Præclariſsime FEDERICE, tres libros de Venis edirectò ſecandis dum Bononiæ Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudiis operam darem, quos cùm multis antea rationibus ſtatuiſſem potius apud me priuatim habendos, quàm in publicum emittendos, factum eſt, vt ad hoc vſq; tempus illorum editionem diſtulerim. Duæ verò potiſsimum mei illius inſtituti fuere cauſæ, altera, quòd vix fieri poſſe videbatur, vt quicquam elaborati à me illo tempore, quo nondum vigeſimum annum attigeram, conſcriberetur; altera quòd timebam ne in magnis viris increpandis, & illis pręſertim qui & doctrina, & nominis celebritate magni iure haberentur, temeraria nimis, & audax mea videretur oratio. Quòd verò attinet

ad ætatem; satis me solabatur Matthęi Curtij Præceptoris mei authoritas, qui cùm me ad id oneris impulisset, vt hisce libris, aduersariorum suorum scriptis & argumentis occurrerem, & mea præterea scripta veritati consona iudicasset, potui mihiipsi quodammodo blandiri, & bono esse animo, quòd vix concedente ætate, ab initiis, & fundamentis, quæ ille posuisset, firma quædam argumenta deduxissem, quibus aduersariorum opinio reiiceretur. In ea verò celebratorum hominum confutatione, longè mihi magis excusatione carere visus essem, nisi ijdem in Curtium celebriorem, quid verò dico Curtium? nisi in Hippocratem, in Galenum celeberrimos, & de re medica optimè meritos, sua scripta, immò verò sua tela direxissent; Qua de re factum est, vt ego quoq; in tantorum virorum sententiis ab errore vindicandis audacior sim factus. His ergo rationibus statui hoc tempore consilium mutare, & plurimorum mihi amicitia iunctorum monitis acquiescere, qui me ad edendos libros hortati sunt. Suffuratus igitur tantum otij, quantum ad relegendos magis, quàm ad corrigendos libros satisfacere videbatur, licet multis hincinde negotiis distraherer. feci tamen vt libri ad editionem parati essent, neq; remouere me ab ea sententia id potuit, quòd ex illis, qui à nobis confutantur authoribus quidam postea aliter scripserint, quidam publicè

(vt

(vt audio) veterem opinionem retractarint, hoc enim me potius ad ſcribendum reddidit alacriorem, quippè qui videbor in ipſas magis ſententias, contra Curtium ipſo viuente editas, quàm in homines ſtylum direxiſſe, & vtiliori labore eaſdem opiniones reiicere, quæ à ſuiſmet authoribus reiectæ ſint. Quod certè ſcribendi genus Platonis, & Ariſtotelis ſummorum philoſophorum authoritate comprobari poteſt; Quorum ille, nunc fictarum ſententiarum, nunc ſophyſtarum qui mutatis paſsim definitionib⁹ decertant improbatione, veritatem reddit illuſtriorem; Hic verò in verba etiam ipſa diſsimulatis ſententijs inuehitur, non vt ſummos viros (vt ego quidem opinor) taxet, ſed vt prauos ſenſus reiiciat, qui ex verbis perperam intellectis oriri poſſent. Dum verò cogito cui potiſsimum meos hoſce labores inſcribere, ac de more dicare debeam, tu vnus occurriſti FEDERICE præclariſsime, non ea certè ratione quòd patre, & fratribus Ducibus, quòd patruis Principibus & Cardinalibus, quòd præterea innumerabilibus ferè tuæ iſtius ampliſsimæ, ac præſtantiſsimæ familiæ viris, & viuentibus & vita functis, ſis decoratus, ſed quôd tua ipſemet virtute, & probatiſsimis moribus ſplendes, gentiliúmq; , & maiorum tuorum memoriam reddis ornatiorem. Accedit quòd mihi quoque dum Mirandulæ eſſes, benignus adeò, ac hu-

manus

manus es visus, vt ingratissimus planè sim, nisi simul meipsum, meaq; omnia in tui clientelam, & patrocinium committam, testatumq; reddam, quanti virtutem illam faciam, & probitatem, quæ plerosq; iam homines in tui amorem, admirationemq; traxerunt. Vale.

Mirandulæ kalendis Maij. M. D. LIX.

MATTHAEVS CVRTIVS MEDICVS, IO. BAPT. SVSIO. S. D.



LEGI libros tuos De Venis Edirectò Secandis, qui quidem mihi magnopere placuerunt, tum quòd dogmata nostra defendunt, tum etiam quòd tu illorum author es, quem ego vti discipulum ac filium vnicè diligo; Caue dubites illos quamprimum edere, nam tametsi sis adolescens, præseferunt tamen solidam quandam grauemqué doctrinam, eruditis omnibus sine dubio placituram; Quòd autem illos in ea quam nunc gerunt dialogi forma, aut potius in perpetua oratione emittas, tuæ sit optionis. Epistolam à me cum opere ipso imprimendam, quæ illud commendet (etsi opus seipsum commendat, nec huiusmodi approbationem exigit) cùm volueris habebis. Te in hoc Pisano gymnasio esse percuperem, cùm tua, tum mea causa, iamqúe de ea re Campanius mecum sæpius est collocutus: tuum erit aut philosophica sensa, aut Theoricam medicinæ extra ordinem explanare; Primo anno aureos centum accipies, insequentibus verò cæteris, maiori semper mercede cumulabere; meáq; domo haud secus ac tua liberè vti semper tibi licuerit. Vale. Florentiæ Non. Octob. M. D. X L I I I I.

IOANNIS BAPTISTAE SVSII, DE VENIS EDIRECTO SECANDIS;

LIBER PRIMVS;

ADVERSVS ANDREAM TVRINVM.



NTER eos, qui bonas artes, & præsertim Medicinam superioribus annis labefactatam, nostro tēpore renouarunt, vnus ac ferè pcipuus est MATTHAEVS CVRTIVS præceptor meus, qui multis iam annis, rectam medendi rationem cum opere ipso, tum frequenti prælectione, veritatis amatoribus patefacit; Galeniq́ue, & Hippocratis opiniones, quæ temporum iniuria, & hominum malignitate, penè obsitæ iacebant, tam clarè dilucideq́ue aperit, vt iam vniuersa dignoscendorum, curandorumq́ue morborum dogmata, in clarissima quasi luce posita sint; Huic amplissimo certè ac doctissimo viro, omnes quot quot veritatem amant consensere; suntq́ue in nostra Academia adolescentes multi, ingenio doctrinaq́ue præstantes, qui indies veras hasce doctoris nostri sententias addiscunt; sed tamen non desunt, qui tantæ, tamq; præclaræ veritati tenebras offundere conentur, homines certè (ne peius dicā) aut hostes veritatis, aut proprij, & iam à puero percepti dogmatis nimis amantes; Quorum placita nos quidem qui Curtium audimus, & cum ipso versamur, nihili quidem facimus, nulliusq́ue esse momenti intelligimus. Sed tamen aliquid esse videntur apud idiotas, & vulgi homines, atq; etiam eos qui in dogmatis hisce percipiēdis vel Curtij ipsius vel Curtianorum opera non sunt vsi. Cùm verò multa sunt, in quibus mali nostro tempore medici aberrant, tum in hoc vno maximè hallucinantur, quod doctrinæ de venis edirectò secandis non consentiunt; quam tamen Curtius, & voce ipsa iam apud Ticinenses & Patauinos auditores, & opere

edito superiore biennio apud hanc Bononiensem Academiam praeclarè satis edocuit. Qua de re scripsere iam multi viri ab opinione Curtij dissidentes, Andreas in primis Turinus, Benedictus Victorius, & (quòd magis mirum videtur) Victor Trincauellius, & Andreas Vesalius, vtriq; bonarum litterarum professores. Horum verò omnium iam extant libri, suntque nonnulli, qui illorum sententiam veram existimant, nulla certè ratione, sed sola hominum authoritate freti; Quorum sanè opinionem, vt ipse apud me falsam percipio, perperãq; à Curtij placitis dissentientem, ita illam euertere dignũ duxi, pro mea erga veritatis amatores, & ipsum etiam praeceptorem voluntate. Hoc verò onus, tametsi meis impar viribus videatur, attamen vel veritate duce, vel vno suadente Curtio, qui cum nobis instituendis, & aegrotis curandis distineatur, id mihi operis iniunxit, non potest à me detrectari: legant tantùm, qui nos audituri sunt, editum iam à Curtio libellum, ne idem saepius cogamur referre, qui aduersus eos scribere instituimus, qui in eosdem frequenter errores incidere videntur. Praestat autem initium facere à Turino, quando is primus Galeni mentem quae, eadem est cum Curtij opinione, refellere conatus est. Scripsit hic vir librum de sanguinis missione, cui & epistolam adiecit, quam olim Curtio miserat; in hoc autem libro multa dicuntur, vt ostendemus, quae hijs aduersantur, quae in epistola scripta iam fuerant. sed librum primo, mox epistolam quo ordine in lucem edita sunt, refellemus; Primũque instituenda nobis est oratio, pro ijs authoritatibus intelligendis, quae & secundo, & quarto libro de ratione victus acutorum morborũ apud Hippocratem leguntur, nam cum Hippocrates directam venam in lateris dolore secandam consulat, hoc verum esse inquit Turinus, cum vigor morbi adest, non verò cum initium; Cum verò duplex sit vigor, qui & status morbi appellatur, alter quem penes concoctionem, alter quem penes symptomata intelligimus, venam in concoctionis tantum statu edirectò secandam in epistola ad Curtium Turinus scripsit; hoc autem loco statu concoctionis seposito, de symptomatũ statu

Hippocratem

Hippocratem loqui autumat, quo quidem inquit venam edirectò secari præcipit, nec tamen prohibet oppositam secari, si morbi initium adfuerit, cui rei, & Hippocrates, & Galenus primo libro de ratione victus acut. mor. par. xxxiiij. videntur consentire. Hoc idem quadam etiam ad Ioannem Manardum epistola, Turinus inquit, in qua quidem Hippocratis aphorismum cuius initium, cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum moue, de initio vigoreq́ue, qui ad concoctionem referuntur, intellexit; Quadere, & incõstans, & sibimetipsi contrarius videtur: Quòd verò præceptum Hippocratis de symptomatum statu interpretatur, hallucinatur profectò, & Galeni sententiæ repugnat, nam in symptomatum vigore nullum auxilium afferri solet, quod in prædicti aphorismi interpretatione sensit apertè Galenus; ac rationem quoq; reddit, quòd illo tempore virtus multo labori succũbat, maximèq; turbetur, vnde nihil illo tempore moueri debet. Quod etiam apertius aphorismo sequenti dixit Hippocrates, cum inquit morborum initijs vniuersa esse imbecilliora, in statu verò fortiora, vbi de symptomatis intelligit, & superioris aphorismi rationem reddit, vt Galeno placet; Quadere nulla ratio est, quæ nostræ opinioni aduersetur, cùm venam edirectò secamus ante morbi statum, in quo quidem maxima solet adesse perturbatio.

HIPPOCRATIS verò dictum, quod in sui patrocinium Turinus attulit, nullo pacto nobis aduersatur, nam verba prædictæ particulæ. xxxiij. primi libri de rat.vic.acu. morb. quæ à Galeno in Commento dicuntur, hoc tantùm docent, non esse exhibendam ptisanam, nisi prius dolor vel venæ sectione, vel pharmaco sit mitigatus, & præsertim si dolor intensus admodum fuerit, & vrgens. Hæc verò remedia satius vtiq; fuerit initio statim morbi adhibuisse, sed tamen si cuiuspiam ignauia omissa essent, vel dolor primis statim diebus non mediocriter increuisset, prius alleuari debet quàm nutrimentum offeratur; neq; deterreri debemus ex symptomatũ vigore, in quo aliàs nihil mouendum Hippocrates præcepit, hic enim vigoris obliuisci ob cibandi ægri necessitatem cogimur, & dolorem pri- *Prĩa Turini ratio*

mum ſedamus, quàm cibemus; ſed inſtat Turinus, nam licet venæ ſectio edirectò fieri deberet, id tamē nō ſequitur, faciendam eſſe initio ſtatim morbi, & repleto corpore & fluentibus ad inflammationem humoribus; ſicuti neq; ſequitur, in angina lippitudineq́ue venæ ſecandæ ſunt, hic quidem in oculorum angulis, ibi ſub lingua; ergo ſecandæ ſunt initio, repletis corporibus, & humore fluente. Ego verò Curtij argumentum hiſce modis intelligi ſuppono, nam ſi vena edirectò ſecanda eſt, cùm dolor ex fomentis augetur, vel non mitigatur, plenum omninò corpus erit, & humores ad inflammationem fluent; Deinde cùm primum remedium, quod dolenti lateri Hippocrates miniſtrari præcipit, ſit fomētum; quo non iuuante venam edirectò ſecari iubet, ſatis conſtat initio morbi hanc adhiberi venæ ſectionem; Quæ verò de angina, & de lippitudine dicuntur nihil ad rem attinent, nam in illis morbis duæ fiunt venarum ſectiones, neq; aut in angulis oculorum, aut ſub lingua venam ſecaremus, niſi ex cubito prius ſanguis detractus eſſet; Quare ſi & hi morbi lateris dolori ſimiles eſſe debent, iam Hippocrates alteram venæ ſectionem omiſiſſet, cùm vnicam duntaxat, eamq́; edirectò præcipiat in lateris dolore; vnde non eſſet ab Hippocrate tradita integra huius morbi curatio, cùm tamen anginæ, & lippitudinis, quod ad ſecandas venas attinet, abſolutè tradita ſit. Sed adhuc Turinum redarguamus, nam cùm morbus inchoat venam oppoſitæ partis ſecandam conſulit, directæ verò, cum ſymptomatum ſtatus adfuerit, quid igitur fieri dicet, cùm humores adeò cum impetu fluxerint, vt paucis horis intenſiſſimum dolorem reddant? nunquid quoniam ſymptomatum ſtatus adeſt, venam ſecabit edirectò? qui non primis tantùm horis, ſed etiam diebus oppoſitam venam ſecari docuit? falſa igitur eſt Turini regula, quòd initio morborum venæ ſecentur affectis partibus non directæ; cogitur etiam ſibimetipſi contradicere; nam cum triplex ſit initij morbi ſignificatio, vt Galenus docuit, primà momentum quo inuadit morbus (quod à curandi ratione abeſt, ex naturali illa ratione, qua monemur vniuerſas actiones in tempore faciēdas) alia primorum

rum

rum dierum morbi; tertia initium quod dicitur vniuersale, in his certè temporibus possunt in vigore esse symptomatà; Quare si Turino credimus venæ edirectò initio morborum secabuntur; Quod si dicat, nequaquam se loqui de ijs fluxionibus, quæ magno cum impetu fiunt, sed de pacata quadam quæ paulatim fiat, fluxione, quæ dolorem nō statim, sed multo interiecto tempore adaugeat, quo quidem casu deriuatione magni impetus omissa, moderati fluxus reuulsionem adhibebit, nihil certè vel sibijpsi, vel Galeno etiam diceretur repugnantius; nam cum quarto lib. de curan. morbis, tum ad contraria reuellendum Galenus consulat, cùm valenter irruat fluxio; hic vir contrà facit, nam in quieto pacatoq́ue defluxu reuellit, non verò invalentiori, & qui cum magno impetu mouetur. Sed & infrà cùm secundam partem conclusionis Curtij reprobat, adhuc hallucinatur, ibi enim venam inquit Hippocratis sententia edirectò secandam esse, cum vniuersus humor defluxus est, & affectus in vtroq; statu; oppositam verò cum humores fluunt. Quid enim fiet, si vigor sit morbi, & fluant humores, nec augeatur dolor? Etenim fieri potest, vt dolor in vigore nouas ad sese fluxiones trahat, quas suo calore dissoluens, nullum sibi addat incrementum, quod ferè contingit in ea febri, quam medici vocant omotenam, quæ quidem cùm in dies nouæ humorum accendantur partes, non videtur augeri, illis omninò vel suo calore, vel diflatione insensili dissolutis. Idem igitur fit in morbo laterali, nec enim euadet Turinus, nam si venam edirectò secabit, cur fluentes humores excepit? sin oppositam, cur symptomatum, qui in vigore sunt non recordatur?

SED aggrediamur ad secundam rationem. Inquit enim ex Hippocratis verbis manifestè constare, directam venæ sectionem transacto principio adhibendam esse, nam supponit Hippocrates grauitatem quandam brachio, mammæ, & partibus supra transuersum septum molestam, quæ cum post initium appareant, venæ etiam directæ sectio post initium adhibebitur; Ego verò si hic post initium intelligit post primam morbi inuasionem, rectè certè illum sentire arbitror; nam post *Secunda ratio Turini.*

eius-

eiusmodi initium sunt vniuersa, quæcunq; in morbis percipiuntur. Sin autem primos dies, aut primum vniuersale morbi tempus intelligit, manifestissimè constat eiusmodi initijs cuncta quæ dicta sunt apparere; quæ si adsint, venam directam Hippocratis consilio secabimus, etiam si vigor symptomatum adesset, nam omninò redarguendi essemus, si offerremus alimentum, antequam dolor alleuatus esset.

Tertia ratio Turini.

Sed instat Turinus atq; inquit, venæ directæ sectionem effatu dignum subsidium non afferre, nisi multa sanguinis copia ad altiores partes percurrat. cũ verò morbi initio fluxiones modicæ sint, non vtiq; educi rectè poterunt per directam sectionem; præstaretq́ue per oppositam sectionem aliò auertere humorum cursum, neq; directam secare venam, nisi multus sanguis in parte affecta collectus firmata iam fluxione reperiretur. quæ opinio, Galeni sententiæ & rationi aduersatur, nam cùm motus sanguinis ad superiora tendat, illicò educi debet, ceu natura curationis modum suo motu indicante, & fluxù sui initio ad exitum paratiore; duci ergo debet vnde natura repit per directam sectionem, & morbi statim initio, non in statu, nisi subsidium omissum esset; Quod verò inquit, parum initio defluxisse, id fortè veritatem habet in fluxu illo, qui ab adiacentibus partibus ad ipsam inflammationem fertur, sed minimè verum est in altero fluxu, qui à quapiam, vel ab vniuersi corporis partibus fit ad partes inflammationi adiacentes. multa enim in vicinis inflammationi partibus sanguinis copia continetur, etiam si modica, modiceq́ue ferri possit ad inflãmationis locum; ipsi verò iam defluxis ad vicina loca humoribus opitulamur. Docuit enim Galenus in libro de temperie inæquali, & tertio libro artis medicinalis, lib. quoq; de tumoribus præter naturam, duas esse in inflammationum ortu defluxiones, alteram prius qua venæ vicinarum inflammationi partium replentur, ac distenduntur, alteram ab his ad locum inflammationis, quæ & Curtius declarauit, & hi, qui nõ animaduertunt, frequentissimè decipiuntur.

Quarta rõ Tur.

Sed addit Turinus, cùm omnium ferè authorum consensu, vniuersalia quædam auxilia afferri debeant, antequam parti-

cularia

cularia & localia afferrantur; quid prohibebit aliquam, & oppositam venæ sectionem, quæ ante fomenta adhibita sit, ab Hippocrate prætermitti, atq; à nobis in eius oratione subintelligi debere? sed profectò ignorat cur ab Hippocrate adhibeantur fomenta, si nāq; tanta esset plenitudo, quæ necessariò vacuationem exposceret, fomenta non adhiberentur, adhibentur verò vt humorem vniuersum insensili diflatione discutiamus, vel saltem de plenitudine alia auxilia requirente certi reddamur, quo fit, vt fomentorum vsus curationem vel absoluat, vel tentet, vt alijs postea subsidijs vtamur, atq; hoc quodam Galeni testimonio probari potest, qui Commento xxxi. sexti aphorismorum libri securissimum remedium fomentum appellat, & aliquā omninò afferens vtilitatem, vel tanquam signum dignoscendi, vel tanquam causa sanandi morbi, quo fit, vt & in lateris dolore cum fomenta Hippocrates adhibet, vel plena curatio, vel plenitudinis dignotio debuerit expectari.

LONGE' magis errat Turinus, cùm ideò oppositam venæ sectionem in lateris dolore præcessisse opinatur, quia & in angina, lippitudineque brachij sectio reuulsiua venarum linguæ vel anguli oculorum deriuatiuam præcedat, nam non sequitur, Diuertendum prius est, quàm deriuandum, ergo oppositæ partis prius vena secanda est, quàm directæ; nam directarum venarum sectiones magnum vsum reuulsionibus præbent. Quòd si in dextræ partis angina per venam dextram cubiti reuellis, quæ ratio est, vt idem fieri non putes in lateris dolore dextro? hæc enim venarum sectiones in eundem vsum adhibentur, quod & ostendit Galenus secundo lib. ad Glauconem, vbi venæ sectionem sub lingua quæ fit in angina correptis, similem esse inquit cucurbitulis, quæ in lateris dolore super affectam partem apponuntur, quo fit, vt & cubiti sectiones, quæ in vtroq; affectu præcesserunt, minimè inter se dissidere possint. *Quinta ratio Turini.*

NEC obstat Galeni locus commenti. xix. iiij. lib. de rat. vi. acut. morb. quo sexto loco Turinus vtitur, nam inquit, in quacūque inflammatione venæ sectionem pharmacis esse præferendam, *Sexta rō Turini.*

dam,

dam, quod si descendente dolore quo tempore pharmacum exhiberi Hippocrates consulit, venæ sectio præcessit, erit profectò non directa, quando de directa ante facta est ab Hippocrate mentio; Sed non animaduertit Turinus binas esse, & in lateris dolore, & in reliquis huic similibus morbis indicationes, alteram, quæ ex humore qui, sanguis est, alteram, quæ ex inclinatione & motu naturæ præsumitur. Humori enim venæ sectio semper competit; naturæ inclinationi nunc venæ sectio, nunc pharmacum; Magnus enim omninò est in omnibus morbis naturæ motus, quo fit, vt sicuti ascendente dolore venam secamus, ita descendente non possimus ab exhibendo pharmaco excusari, quod si alios à sanguine humores educere pharmacum videatur, eligi tamen debet, & Galeni primum consilio primo lib. ad Glauconem, cùm inquit nullam vacuationem sanguinis tentandam esse, si febribus fluxus ventris est coniunctus, & Auicennæ quoq;, qui ventre bis, vel ter fluente, sanguinis missionem omittendam consuluit. Si igitur inferiores corporis partes natura euacuans tentarit, maximum afferremus detrimentum aliò humores trahentes, an verò descendente dolore venæ aliquãdo sectio adhiberi possit infra clarius exponemus.

Septima ratio Turini.

Hic quoq; alium Turini cauillum effugere facilè licet, nam si fomenta inanitis corporibus adhiberi debent, videbitur aliqua euacuatio fomenta in totum præcessisse. Nec enim vt antea quoq; diximus fomenta adhiberentur, vbi certa esset plenitudo euacuationem exposcens; adhibentur verò, vt vel modicam plenitudinẽ dissoluamus; vel aliorum quæ requiruntur subsidiorum certi reddamur.

Octaua ratio Turini.

Qvod si Gal. in lib. de cur. rat. per sang. miss. alteras esse inquit initij, alteras status morborum venæ sectiones, non ideo sequitur, oppositam venæ sectionem initio doloris lateris accommodari, nam altera omninò est venæ sectio cubiti, quæ reuellit, altera cucurbitularum appositio ad læsam partem; quæ proportione quadam respondet secundis venarnm sectionibus, quæ in angina, & lippitudine fieri paulò ante dicebamus.

Nona rõ Tur.

At verò Turinus inquit, si in renum affectibus remotis in partibus

bus venæ reuellentes quæruntur, in proximis autem deriuantes, qua ratione, idem in lateris dolore fieri nõ dicemus? Sed tamen errat, primùm, quòd librum de renum affectibus Galeni esse putat, qui tamen & christiani authoris est, & à Galeni dicendi modo alienissimi; deinde hallucinatur maximè, quòd loci distantia, & propinquitate reuulsiones, & deriuationes metiendas esse opinatur; nam non ex positu partium, sed ex humorum motu reuulsio, & deriuatio intelliguntur, vt Curtius demonstrauit. & postremò ea adscribit eius libri authori, quæ nec ille quidem somniauit; nam hoc tantùm inquit author, forte virtute, venas poplitis, debili, cubiti venas secandas esse; quæ verba Turinus ita accipit, quasi author dixisset, humore fluente venas in cubito, defluxo verò in poplite aperiri; quod si concederetur, nihil etiam inde sequeretur incommodi; nam in renum affectibus, sicut & vtero patiente, reuellimus p venas in cubito dissectas, p venas verò poplitis deriuamus; in his autem affectibus directas semper morbo venas eligimus, non oppositas. In lateris autem dolore, quoniam ex affectus situ varijs venarum sectionibus vti non possumus, vnica duntaxat vtimur sectione, quæ tamen et reuellendi, & deriuandi vsum, vt infra quoq; monstrabimus, præstare potest.

CVM verò non vnicus duntaxat sit reuellendi modus, qui per longitudinem fieri solet, sed alter quoq; per latitudinem corporis, miratur Turinus, cur priorem tantùm reuellendi modum, non etiam posteriorem eligamus. sed minus mirabitur postea, cùm multa hac de re à nobis dicentur, & id in vniuersum hoc loco animaduerti debet, cùm verè vtraq; reuulsio reperiatur, rarò adhiberi quæ ex latitudine intelligitur, sicuti si alterum crus patiatur, quoniam ex ipso patiente sanguis mitti in initio non potest, alterum eligimus. Quæ verò per corporis longitudinem fit reuulsio, non certis casibus, vt altera, sed frequentissimè fieri debet, quod non poterit à quopiam qui mente valeat negari. *X. ratio Turini.*

MINVS mirandum est si nr̃am venæ sectionem, quoniã ad latus quoddam corporis esse videtur, deriuatiuam non appelle- *XI. ratio Turini.*

mus; nam intelleximus iam à Curtio per eandem directam venam & reuelli sanguinem, & deriuari posse; cùm hæ rationes à motu humorum, non à situ partium intelligantur, vt & infra manifestius ostendemus.

XII. rō. Turini. Ex his itaq; perspicuum esse potest, quàm vanè à Turino afferatur illa græcorum authorum subscriptio; nam neq; Oribasius, nec Aetius, nec Paulus Aegineta, quippiam contra nos expresserunt, & quod ait de coxendicum dolore ex Paulo, simile quodammodo est ijs, quæ antea de vtero dicebamus. neq; enim concedere oportet ex sola locorum distantia, vel propinquitate reuulsionem, & deriuationem intelligendas esse, sed ex humorum (vt diximus) motu. Sicuti etiam fatendum est, Arabes authores non admodum à græcis in hoc quo de agimus negocio dissidere, quod planissimè Curtius ostendit. Hæc hactenus pro duodecim rationibus refellendis, quibus quidem confutatis, videamus iam cùm in castris eligendis Turinus aberrarit, quidnam possit cùm nostras acies nititur oppugnare.

Prīa solutio Turini. PRIMVM verò nobiscum sentire videtur in prima solutione, nam fatetur venam directam non posse secari, nisi vicinæ inflammationi partes repletæ sint; hallucinatur verò cùm putat illis repletis partibus, fluxoq́ue ad illas humore, non posse id initium affectus existimari; nam Galenus in locis quæ paulò ante attulimus, vicinas inflammationi partes non initio modò, sed ante inflammationis ortum repletas esse fatetur; si igitur repletis vicinis partibus, directam sectionem Turinus approbat, iam velit nolit in nostram sententiam trahitur; neque officiunt ea quæ affert loca, si quidem fatemur à læsa & repleta parte humorem abducendum esse, quo fit vt vicinæ partes per directam sectionem sint inaniendæ.

Secunda sol. Tur. HIS autem omissis, prolixa satis oratione de fomentis applicandis pertractat, putatq́ue illa adhiberi non posse inchoantibus morbis, & dum humores fluunt; contenditq́ue falsam esse Curtij rationem. Quæ tamen ratio longè secus & poni, & intelligi debet, quàm fiat à Turino; nam hoc pacto adducenda erat. Tunc sanguinem ex directa parte mittit Hippocrates

pocrates, cùm dolor fomentis non sedatur; sed pleno corpore & humore fluente tam ad vicinas partes, quàm ad locum inflammationis, dolor quandoq; non videtur sedari, ergo repleto corpore, & humore fluente, sanguis ex parte directa mitti poterit. Hæc verò Curtij verba vtcunq; male afferantur, adhuc Turinum vel inuitum cogunt contra semetipsum sentire; nam fatetur directam venæ sectionem adhibendam, cùm vniuersus humor ad vicina loca defluxerit, licet portio quæpiam ad affectam partem feratur; addo ego hoc tempus initium appellari, tum Galeni sententia libro de vniuersalibus morbi temporibus, tum ipso etiam Turino teste, ad huius initium libri; Itaq; venæ sectio, quæ edirectò fit, & repleti erit corporis, & inchoantis morbi. Sed aberrat adhuc Turinus cùm vigorem, & statum morbi ideo existimat appellandum, quia dolor fomentis non sedatur; nam hoc quidem dicendum esset, si nulla doloris alleuatio contingeret; sed secus euenit, & non ita intelligendus est Hippocrates, vt nulla prorsus doloris remissio percipiatur; alleuatur enim ex fomentis aliqua ex parte dolor, licet postea ob humorum multitudinem augeatur, & intensiori modo affligat. Quæ doloris intensio nobis inditium est multo plus humoris attrahi, quàm difflari, quod ferè fit initio morbi, aut prima incremēti parte, tempora certè, directæ venarum sectioni aptissima iudicanda. Si igitur vniuersus humor ad loca vicina defluxerit, neq; inflammationis locum sit ingressus, dissoluent illum fomenta paulatim, nisi quicquam ab vniuerso corpore ad illa loca feratur. si verò aliqua iam portio dolorem punctorium faciat, & affectus inchoarit itidem sanare possunt fomenta, dissoluto, qui iam fluxit humore, auulsoque illo, qui inflammatam petebat partem. Idem vsu venit in oculorum inflammatione, sicuti Galenus sexto aphoris. libro Commento xxxi. vt antea quoq; monstrauimus, testatur; duo nāq; in eiusmodi affectu sunt humores, alter in ipsis oculorum tunicis, morbum faciens, alter qui in adiacentibus oculo venis, continetur; vtriq; verò ex fomētis difflari possūt, si nihil præterea à capite fluat ad ea loca. Quo Galeni exemplo in dolo-

te quoq; lateris vsi sumus, cùm diximus, & læsi loci, & partium vicinarum humores ex fomentis dissolui posse, nisi nouæ fluxiones à reliquo corpore ad vicinas partes descendant. Hanc verò horum affectuum similitudinem peruertere Turinus videtur, illam aliter, & confusius fingens; ait enim simile esse cùm in inflammatione oculorum nihil à capite ad oculos fluit, & cùm in lateris dolore nihil feratur ad vicina loca, & horum ēt locorum sit humor dissolutus; quæ similitudo ipsis etiam cæcis dissimillima esse videretur; vt verò omnia in vnum colligamus, dicimus humorem posse, & ad vicinas partes, & ad locum inflammationis defluere, cùm fomēta non proficiūt, iccircò venæ directæ sectio, initij morbi subsidium dicenda erit.

Tertia solutio Turini.

QVAERENDVM postea videtur, nū initio morbi an post initiū dolor lateris clauiculæ communicetur, qua in re, cùm Turinus ex studiosorum quorundam scriptis, quæcunq; hoc loco affert excerpserit, toto aberrat cœlo; hoc enim sensu scriptum erat, multam humoris copiam in inflammatione contineri, cū non sedaretur fomentis dolor, qui vel superioribus, vel inferioribus partibus, communis esset; cuius rei inditium sumitur ex tensione membranæ costis subtensæ; nam si modica esset humoris quantitas, iam quoq; modicam tensionem fieri necesse esset, neq; dolor alias partes occuparet; sed sola in parte grauitas perciperetur; Qua ratione nos humorem in vicinis partibus contineri iudicamus; modicumque omnino, vel nullum fortè ad inflammandum locum fluxisse. si nāq; multus fluxisset, iam non grauitas modò, sed dolor etiam punctorius, & tensio perciperentur, quæ vel superas, vel infernas partes molestarent; His casibus venam directæ partis aperiendam scriptum erat, nec aliter aut scriptum, aut auditum fuisse dici potest; Non igitur, vt Turinus existimat, ex grauitate sola modicam humoris absolutè quantitatem, arguimus, sed modicam tantùm illius, qui defluxit ad inflammatam partem; nam si multa esset, nō modò grauitas, sed tensio quoq; sentiretur, sed ad rem redeamus; Falsissimum est initij tempus præterijsse, quando cum grauitate tensio quoq;

percipitur

percipitur, nec vlla hoc suadet ratio, nec vsus; nisi initium primum affectus instans intelligatur. Quare primis morbi diebus, & vniuersali etiam initio, & grauitas, & tensio simul adesse potest. Quod verò de fomentis inanito corpori adhibendis Turinus addit, iam ante confutauimus, cùm subsidij hoc genus tentandi gratia parandum censebamus; neque illis vsus esset Hippocrates, nisi existimasset aliquando sanare posse; leue quidem nonnunquam auxilium afferunt, sed id tamē præ cæteris tentandum Hippocrates & Galenus consuluere.

SEQVENTI quoq; loco minus percepit Turinus Curtij opinionem, cùm ipsum repræhendit quasi dixisset ex accessionibus tertianis, quæ in lateris dolore fiunt, argumentū haberi quòd humoris fluxiones nondum firmatæ sint. accessionum .n. inquit Tur. causa non ex humoris motu est per circuitum, sed ex firmati iam humoris proprietate. Qua in re fallitur, nec enim negauit Curtius motum humoris accessionem facientis, illo iam fluxo posse quiescere; sed primis morbi diebus humorem fluere existimauit, qui per directam venæ sectionem debet educi. Quòd verò humor iam fluxus sua natura, & proprietate accessionum circuitus efficiat, falsissimum est, & Galeno extremò secundo libro de febrium differentijs aduersatur; Qua de re aliquot antea mensibus orationem publice Curtius habuit, qua quidem fatuam illam Iacobi, Gentilisq́;, & quorundam authorum sententiam, explosit, quæ in circuitu accessionum declarando, proprietate humorum nitebatur. Sed aliàs fortasse commodiore loco ea de re pertractabimus, nunc id tantùm animaduertisse sufficiat, aberrare quoq; Tur. cùm iterum inquit, non sedato fomentis dolore statum adesse morbi; nam hac de re supra egimus, & iam ostendimus cùm dolor qui fomentis aliqua ex parte videbatur remitti, rursus intenditur; eo ipso tempore vel directam venæ sectionem, vel pharmacum non expectato statu desiderari. *Quarta solu. Turini.*

MINVS effugit Turinus aliud argumentū Curtij, nam cùm Galenus xiij. lib. de curan. morb. initio statim morbi cucurbitulā applicandam censuerit; sequi inqt Curtius oppositam venæ sectionem non semper esse initio morbi præmittendam; Turinus *Quinta solu. Turini.*

nus verò, non de attracto humore, ſed de eo, qui diſſectis venis ſponte fluat, verba ſe facere reſpondit, quæ exceptio parum prodeſt, nam vel attrahantur humores, vel ſponte defluant, curatio non videtur mutari, ſed fluens humor quomodocunq; fluat reuellitur, & ad motus ſui contrarium trahitur. Eadem igitur occurret vena cùm ab inflammatione vel facta, vel futura fluxionem aliò trahere voluerimus: rectè igitur dictum eſt à Curtio, oppoſitam venæ ſectionem non ſemper in dolore lateris, Galeni ſententia præmittendam eſſe.

Sexta ſolu. Turini.

In alio quoq; argumento moderando fallitur admodum Turin. nam cùm Curtius dixiſſet nihil in ſtatu morbi Hippocratis cõſilio mouendum eſſe, inquit ille, nihil ob hoc Hippocratis dictum obſtare, quin in ſymptomatum ſtatu vena directi lateris ſecari poſsit; cùm Hippocratis dictum de eo ſtatu morbi loquatur, quod ad concoctionẽ eſſentiãq; morbi refertur, & in ijs præterea morbis verificetur, qui vniuerſum humorem ad vnicam expulſionem reſeruant, inter quos lateris dolor nõ numeratur. Hic verò omiſſum facio quòd falſiſsimũ ſit Hippocratis aphoriſmum de ſtatu concoctionis verba facere, cùm antea quoq; hoc oſtenderimus Galeni teſtimonio, qui in Cõmento, dolores, & vigilias, enumerat inter ea, quæ quieſcẽdum eſſe monent; Sed quid dici, aut excogitari peius poteſt, quàm Hippocratem eo loco loqui tãtùm de reſeruantibus humores ad vnicam expulſionem morbis? legat, oro, Galeni verba extremo libro, qui de optima ſecta inſcribitur, ibi .n. prauum hunc Turini ſenſum reijcere videtur; nam reddens rationem, cur inchoantibus morbis aliquid moueatur, non verò cùm ad ſtatum peruenerint, hoc ideo fieri inquit, quia morborũ initijs virtus fortis eſt, in ſtatu verò ex ſummo ſymptomatum, & cauſarum vigore fatigata; quæ ratio morbis, etiam per vices humores expellentibus, accommodatur, niſi hos affectus (quod fatuum omninò eſſet) initijs magis affligere quàm in ſtatu, exiſtimemus. Sed præterea, conuinci etiam poteſt Turinus ſuomet dicto, nam concedit pharmacum, & initio ad reuellendum, & in ſtatu concoctionis ad euacuandum, exhiberi poſſe. Cùm igitur idem ſit tẽ-

pus

pus secandæ venæ, & exhibendi pharmaci apud Hippocratem, hac sola distinctione ascendentis, vel descendentis doloris, vena edirectò, ipso statim morbi initio, & in vigore concoctionis, ascendente dolore secari poterit. Turinus ergo sibi ipsi aduersatur, & falsum dicit, cùm in symptomatum solùm statu directam venæ sectionem, non reliquo statu neq; morbi initijs permittit adhiberi.

Iam verò hoc idẽ paulò post refertur à Turino, in vigore symptomatum directam venæ sectionem adhiberi; fallitur verò vt prædiximus, nam licèt hoc fieri aliquando ob cibandi ægri necessitatem concesserimus, vbi tamen liberè agere permittitur, non est hic status à medico expectandus, sed initio statim morbi, vena edirectò est aperienda. *Septima solu. Turini.*

Peivs est & dubio procul abhorrendum quod sequitur, nam in statu potius morbi, quàm in initijs sanguinẽ inquit ad animi defectionem vsq; mittendum. Quis enim sanæ mentis, hoc symptomatum statu maximam fatigationem adderet virtuti fatigatissimæ? *Octaua solu. Turini.*

Qvaerit deinde an in symptomatum vigore cùm ascendit dolor, humor, qui vicinas inflammationi venas repleuit, per propinquam loco dolenti venam, educatur? Hic respondere Turinum operepretium esset, num ille humor educatur, quia vigor sit, an quia fluxus; Sed tamen opinor intelligere illum posse nihil fauere tali euacuationi vigorem; immo verò obesse, cum in ipso virtus maximè sit imbecillis. Educetur igitur humor, quia fluxus, nec aliter dici potest; Ergo initio morbi, si contingat humorem ad vicina inflammationi loca defluxisse, & inde paulatim ad ipsam ferri inflammationem, quam dolor ascendens sequatur, vena erit edirectò secanda, quod nunquam hic vir nisi inuitus fatetur. Hic quoq; eadem esset ratio referenda, quam de eodem tempore secandæ venæ, & pharmaci exhibendi supra attulimus; sed quantùm licet breuitati potius consulamus. *Nona solu. Turini.*

Ex his itaq; patet, fatente Turino, in exhibendo pharmaco duo esse opportuna tempora initiũ, cùm humor fluit, & status, cùm firmatus, & concoctus est; & dicente Hipp. sanguinem *X. et XI solu. Turini.*

mittendum

mittendum si ascendat; pharmacum exhibendum si descendat dolor, posse initio morbi & humore fluente sanginē mitti, quod ipsi lubentes neglecto statu cōcoctionis eligimus; si verò quis idem mittendi sanguinis, & exhibendi pharmaci tēpus non putaret, satis hoc indicant Hippocratis verba, quæ absolutè prolata sunt; inquit enim; Si fomentis dolor nō sedatur, & ascendat, mitte sanguinem, si descendat, exhibe pharmacum, alioquin, si Turino fauisset, dicendum erat, si dolor ascendat, & humor fluxus sit, sanguinem mittas; sin descendat, & nondum humor fluxerit, pharmacum dato. Sed multo clarius reffelli potest Turinus Galeni sententia primo libro aphoris: comēto XXII. cùm inquit; Tales itaq; humores euacuare conuenit, hoc est, qui agitantur, & de loco ad
» locum mouentur, ac transfluunt; eos verò qui in aliqua cor-
» poris parte firmati sunt, neque alio auxilio mouere oportet,
» neq; medicari. Hæc Galenus, qui humores iam in parte aliqua
» firmatos, neq; venæ sectione, neq; pharmacis ducendos voluit, vt missa faciam quæ à Curtio ad hoc ipsum approbandū adducta sunt. Hæc autem ratio, non solùm in ijs humoribus intelligitur, qui ad ipsam inflammationem defluxerunt, sed in ijs quoq; qui ad vicinas partes; nam illi idem humores, qui vicinas partes replent, rursum ad inflammationis locum fluētes, doloris lateris initium efficiunt, quo tēpore, vt diximus, vena edirectò secanda est: Esse verò id initium ex ante adductis Galeni locis apertè constat, cùm docet quonam pacto inflammationes oriantur. Hoc igitur initio, quo à vicinis partibus ad inflammatam partem humor fertur, remedia Hippocratis paranda sunt, adhibita distinctione vel ascendentis, vel descendentis doloris; Putat autem Turinus quia pharmacum exhiberi non debet, nisi fluente, vel concocto iam humore, ideo nec dolore descendenti exhiberi posse, quia humor fluxus est, & inconcoctus. Qua in re decipitur, nam humor, qui in vicinis partibus continetur, non omninò firmatus est, immo verò fluit ad inflāmationis locum, quo tempore si dolor descendit, tutò exhibetur pharmacum, si ascendit, vena secatur. Quod verò addit, iiij.lib.de rat.iu. acuti.
morborum

morborum, præter directam venæ sectionem, alteram Hippocratem prȩ supponere, chimericum est, & multis iam rationibus à Curtio confutatum.

ABERRAT igitur Turinus, & hac in re, & duabus præterea solutionibus, quæ sequuntur, vidisse tamen operæpretium est eam lib. partem, vbi à Curtio quinq; priores modi Hippocratem intelligendi refelluntur, ex qua certè, cùm multa possunt haberi ad hanc rem intelligendam, tum illud maximè, nihil magis à veritate abhorrere, quàm dicere fomenta, q̃ ab Hippocrate præponuntur, reliquis esse remedijs postponenda; vt aliud omittam falsissimum, quod hic inquit venã directam, vniuerso iam in vicinis partibus fluxu firmato, secandam esse. XII. & XIII. solu. Tur.

ADSCRIBIT verò Curtio errata quædã, atq; summatim inquit, fomenta trahere adhuc posse, licet corpus plenum non sit; & verum non esse, quòd in statu symptomatum maior humoris pars resoluatur, quàm attrahatur, quibus verbis, cùm nihil planè contrarium à Curtio dictum sit, sed sint illa quidem efficta, non est quòd hoc loco in illis redarguendis elaboremus. XIII. solu. Tur.

CVM verò Hippocrates non sit complexus vniuersa lateris doloris remedia secundo libro de rat. vi. acut. mor. Sed quartò libro venæ sectionem addiderit, de qua non fuerat in secũdo locutus, quid prohibet, inquit Turinus, quin oppositæ venæ sectio xviij. particula. iiij. libri intelligatur, præsertim cùm venæ sectionem pharmaco exhibendo præponamus? Hic verò lubens admitto sanguinis missionem, præferri pharmaco; Sed hanc tamen edirectò faciendam contendo, vt reuellere simul, ac deriuare possit, Hippocratis enim verba, vnã non binas sanguinis missiones proponunt, qua non iuuante pharmacum moderatè exhibendum docemur. Quòd si opposita ex parte sanguinem primò misissemus, iam in symptomatum vigore altera fieret venæ sectio; vnde non unica, sed binæ factæ essent sectiones; Si uerò de curatiuis tantùm remedijs, non uerò de præseruantibus in libris de rat. ui. acut. mor. Hippocratem locutum fuisse Turinus contendat, & hac ratione de reuulsione, quæ per oppositam uenam fit non fecisse XIIII. sol. Tur.

D mentionem

mentionem, fallitur admodum; nam Clysteria primis diebus adhibuit, quæ ad præseruationem uidentur attinere.

V. sol. ur. Cvᵐ uerò inquit, ad absoluendam doloris lateris curationẽ, quam secundo libro de rat. ui. acu. mor. *Hipp.* docet, addi debere Clysteria, sanguinisq́ue misѕionem, de quibus habetur mentio iiij. libro, assentimus profectò; sed cùm nullibi de opposita uenæ sectione Hippocrates pertractarit, sequitur in absoluta lateris doloris curatione, oppositam uenæ sectionem non contineri. Cur uerò quodam casu crure uel brachio inflammationem patiente, non è patientibus, sed ex alteris sanguinem Galenus mittat, iam à Curtio satis apertè declaratũ est. Fallitur etiam Turinus, cùm Hippocratis reuulsionem, quæ fit in angina correptis, opposita dissecta uena fieri suspicatur; nam reuulsiua quidem est hæc uenæ sectio, sed in brachio parti affectæ directo fieri debet; neq; mutanda est in latere dolente curatio; sed (ut antea quoq; diximus) reuellimus, & deriuamus per directam in brachio sectionem, ac deinde cùm affectus inclinarit, cucurbitulam pectori affigemus.

VI. sol. Tur. Itaqve si nihil iam è iiij. libro Hippocratis de rat. ui. acu. mor. contra nos afferri potest, sed uniuersa ad nostram sententiam accommodari uidentur, incassum laborat Turinus, cùm adhuc aliquid inde quærit, quod contra ueritatem, quæ à Curtio dicitur, adducat.

VII. sol. Tur. Sed in intelligendo. xxij. aphoris. vi. libri multis errat modis, primùm quidem cùm putat uenæ sectionem quæ fit currentibus à dorso ad cubitum humoribus, fluxo iam humore adhibendam, cùm Galenus apertissimè dicat; Hippocratis sermonem uerificari, quando humor fluens apparet; deinde fallitur cùm illam uenæ sectionem ideo directam non dicendam putat, quia id Galenus non dixerit; nam hoc omninò addi debet, uel enim fit affectus in anterioribus, uel in posterioribus costis, uel pectoris, uel dorsi dolor furculæ cõmunicet, nihil interest ad sanguinem edirectò mittendum. Præter hæc autem, Galenus in commento rationem reddit Hippocratis dicti; nam inde ducere oportet, quò uergit natura, ergo inclinante ad cubitum humoris motu, uenæ edirectò affecti lateris

teris

teris aperienda est.

RVRSVS Turinus in loco interpretando primi lib. de rat.uir.acu. mor.particula.xxxiij. Curtium calumniatur; Qua de re cùm ipsi initio satis superq́ue fuerimus locuti, nihil hic addendum uidetur, nisi fortè replicemus, eo tantùm casu uenæ directæ sectionem in statu symptomatum fieri debere, quando esset omissa, & cibandi ægri necessitas vrgeret. Sed nec vlla reddi potest ratio, cur in symptomatum potius vigore, quàm morbi initio venam edirectò secemus, cùm vtroq; tempore humor ad vicina inflammationi loca peruenerit. XVIII, fol. Tur.

AT verò locus sexti Hippocratis libri de vulgaribus morbis, nostram sententiam multò clarius confirmat, quàm à Turino euertatur; cùm namq; Hippocrates pro leuandis doloribus proximos sanguinis ventres secari consulat, quî fieri potest, quin in lateris Doloribus ipso statim initio eiusmodi subsidiũ afferatur, cùm præsertim primis diebus maximi dolores excitari possint? Scimus quidem & ipsi, quiescentibus humoribus, è parte proxima faciendas esse vacuationes, idq́ue Galeni testimonio.iij.libro art. medicinalis, vbi & reuulsiones adlongiores quæ possint esse partes faciendas inquit; sed has tamen reuulsiones ad motus humorum contrarium faciẽdas dicimus, cæterisq́ue seruatis quæ in vniuersis venarum sectionibus præscripta sunt. Quòd autem humor fluens secta edirectò vena, neq; reuelli aut deriuari possit, id verò Turinus adhuc non probat, quanquam multis vtitur verbis, quibus authorem quendam impudenter, ac perdita opera condemnat. XIX, fol.Tur.

RVRSVS quoq; reuulsiuam ex opposita parte venæ sectionem xviij. particula.iiij.lib. de rat.vi. acu.mor. contineri putat; atq; illud quoq; refert, ijs additis, quæ scripta sunt hoc.iiij.libro, absolutam lateris doloris curationem.ij.libro tradi; quod & ipsi pridem concessimus; sed tamen ne vnicum quidem verbum de venæ oppositæ sectione apud Hippocratem reperitur, & venæ directæ sectio, Galeni consilio reuellit fluentem humorum cursum, ab inflammatione ad sui motus contrarium auertens. XX. fol. Tur.

XXI. Col. Tur. MVLTA verò sequenti loco effundit verba, sed erroribus adeo plena sunt, vt planè dici nequeãt. Id autem mea quidem sententia, maximum ac omninò redarguendũ videtur, cùm existimat Galenum proprio libro de curandi ratione per sanguinis missionem, quas & quibus temporibus venas secemus, nõ docuisse. nã initio statim lib. proponitur, declarandũ esse q̃ & qbus in morbis venæ secãdæ sint; & an vniuersæ nullo discrimine vniuersis affectibus ꝓdesse posint; deinde adducta à Curtio sententia clarè ponitur venã edirectò sectã lateris dolore laborantibus maximum attulisse subsidiũ, oppositam verò vel nullum, vel non nisi magno temporis interuallo. Quæ si morbi initio vera non essent, maximam errandi præbuissent occasionem. licet enim Galenus initij mentionem fecisse apertè non uideatur, aberrasset tamen, si remedium, quod Turino teste, soli vigori accommodatur, & initio quoq; (vt inquit) obest, absolutè prodesse diceret. Item si oppositæ venæ sectio initio iuuaret, in vigore obesset, Cur vel non iuuare, vel non nisi magno temporis spatio, existimatur? Hic profectò parum exercitatus est Turinus in dignoscenda Galeni opinione, sicuti cùm credit librum de renum affectibus esse Galenicum, quo in errore non antea modò (vt diximus) sed hoc quoq; in loco versatur. Cæterum id iam ex Curtio didicimus, magnũ esse discrimen inter oppositi brachij, & directam venæ sectionem; metiri enim rectitudinem corporis longitudine oportet, cùm quidem dextra dextris, sinistra sinistris respondent; vndè parte dextra patiente, vena sinistræ partis dissecta non erit edirectò, vt infra etiam ostendemus. Contrarij verò nomen, quod frequenter vsurpatur à Turino in declaranda reuulsione, motus humorum contrarium intelligitur, non pars corporis opposita; ita Reulsio de qua loquimur intelligenda est; Deriuatio quoq; non ex humore fluxo iam, & quiescente, vt Turinus inquit, sed ex latere motus humorum dignoscitur, quod enim reuellitur ad contrarium motus, ad eius latera deriuatur; vt Galeni sentẽtia apertè habet; qui vt hãc rem apertius indicaret exemplo vsus est humoris ad palatum fluentis, qui per nares deriuatur v. libro de cur. mor. vt reliqua omit-

tam

tam testimonia. Cùm verò venæ edirectò secandæ morbi initium, & corpus plenum & humorem fluentem accommodamus, id ratione, vt ante dictum est, efficimus. nam cùm fomenta non possunt, hanc eligimus Hippocratis iussu venæ sectionem, ex qua non plenitudo modò corporis emendatur, sed humorum fluentium motus in contrarium statim trahitur; quo fit, vt initio morbi sit adhibita, & vnica dūtaxat ab Hippocrate proposita, quasi optimè & initio affectus & reliquo etiam tempore conueniret. Galenus quoq; .xiij. libro de curand. morb. edirectò, & inchoante morbo venam secat. Qui in vniuersum in quocunq; affectu plures ac dissidentes venas secare conuenit, quas primùm & quas postea secaremus indicauit; distinctè enim, & tempora, & venas in angina secandas, edocuit. idem fecit in lippitudine, in dolore capitis, in renum affectibus, & hic inflammationis meminit recentis, & inueteratæ, & præterea capitis dolorem incipientem, ab eo qui in vigore est, & ab inueterato, seiunxit, cùm hîc aliæ; ibi aliæ, venæ sectiones requirantur. In affectibus etiam iecinoris, lienis, vteri, vesicæ, & coxendicum vnicam semper secandam venam consuluit, vel antiquus vel recens esset affectus, licet in vtero secus sensisse videatur Auicenna. Quæ ergo ratio est, vt solus lateris dolor, sicut & reliqui affectus, quod ad hanc temporis distinctionem pertinet, non curetur? Magno profectò negligētiæ crimine Galenus accusandus esset, si cùm tot affectus percensuisset, in quibus quas & quo tempore venas secamus edocuit, lateris dolorem, periculosum alioquin affectum prætermisset. Non igitur multæ venarum sectiones (quod Turinus contendit) in dolore lateris fieri debent, sed vnica apud Hippocratem & Galenum proposita est, quæ initio & reliquo morbi tempore conueniat. Sed & ipsum propriis rationibus vincamus; cùm nanq; recenti renum inflammatione venam in cubito secandam dicit, non verò in recenti coxendicis, vteri, vel vesicæ. Quam in vtero secandam dicet? Si enim Galenum sequatur, & hoc proprio libro, & xiij. de curan. morb. cogitur omninò in recenti vteri inflāmatione, poplitis, vel malleoli venam incidere. Hîc verò rur-

ſus interrogo, num hæc ſectio reuulſiua eſt, an deriuatiua, vel vtrunq; ? Si reuulſiuam dicat, Galeno contradicit, qui in ſecũdo libro ad Glauconem venæ inquit incubito ſectionẽ vtero patiente reuellere, in poplite verò vel in malleolis deriuare; Si deriuatiuam appellat, iam ſibi ipſi aduerſatur, qui morborum initio deriuantes venas non ſecat; Sed has ad morbi finẽ, reuellentes verò ad initium accommodat. Demum ſi hanc venæ ſectionem vtrunq; ſubire munus & reuellendi, & deriuandi ſimul exiſtimat, iam ruere neceſſe eſt dogma illud à Turino erectum, & frequenter vſurpatum, Nullam venæ ſectionem reuellere ſimul ac deriuare poſſe.

XXII. fol. Tur. NONA verò declaratione quæ Turinus addit egere non videntur; Si quidem locus Galeni.xiij.libro de curan. morb. apertè loquitur de morbi initio, in quo plenum corpus eſſe non dubitamus. Fatuum verò omninò eſt, quod Turinus indicaturum ſe aliquando pollicetur, rectitudinem ex oppoſitis partibus intelligi poſſe; nam ſi dextri lateris cum ſiniſtro, vel ſiniſtri cum dextro oppoſitionem intelligas, hæc nunquã ad illam rectitudinem de qua Hippocrates & Galenus tractarũt, & quæ in eadem longitudine corporis conſiſtit, referri poteſt.

XXIII. fol. Tur. SED Curtium adhuc nititur redarguere, primùm quidẽ, quòd fluxionem vacuari dixerit, deinde quòd locũ III.libri de conſtitutione art. med. firmatã oĩnò fluxionem præſupponere nõ aduerterit, cùm vena edirectò ſecatur. Curtius verò fluxionem non inquit vacuari, ſed id tantùm cùm fluxiones firmatæ ſunt, directam venæ ſectionem, vt humor educatur competere; hæc autem vena, quam proximam Galenus appellat, in inflammationis quoq; initio ſecãda eſt, vt vniuerſalis quædam inflammationum curatio declaretur, quæ reliqua à ſtatu tempora non prætermittat. Cùm verò inquit, fluxiones in
» coxam decumbentes, per politis vel tali venas educemus, intelligi debet, quando fluxus fuerit in coxa firmatus. Quare & quarto libro de curand. morb. vniuerſaliter loquitur cùm
» ait. Si fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria ſtudebi-
» mus, ſin reſtiterit, atq; in membro figatur, deriuare opus eſt
» per vicina. Aberrat enim Turinus cùm interpretatur fluxio-

nem

nem restitisse, cū nihil præterea fluit, hoc etenim admisso, mācus esset Galenus, qui id tantùm docuisset quod fieri debet in vehementi fluxu, & quando nihil adhuc fluit ad affectam partem; Quid enim inquam agendum, si fluxio tardè moueatur, & iam aliqua ex parte non vniuersa membrum obsideat? Hæc enim fluxio nec valenter irruit, nec cessauit prorsus, unde longè melior est, & amplior Curtij interprætatio, quàm Turini; si namq; sit fluxio vehemens reuellemus in cōtrarium, si restiterit .i. non adeo valenter, sed tardè moueatur, & iam in membro sit firmata, vel quippiam fluat adhuc, vel non fluat, deriuandum dicimus per vicina. ita verius, & vberius Galeni sententia intelligetur, & ad fluentium humorum, quiq; fluxerunt modos adaptabitur, qui modi non per duo, vt Turinus voluit, sed vt Curtius docet, per tria quædam tempora declarantur; nam cùm primo tempore humor fluat, nec ad huc ad passuram partē deuenerit; secundò verò adhuc fluat, & in ipsa parte iam figatur. & tertiò præterea in membro fixus sit, & firmatus, primi temporis tertijq; mentionem fecit Turinus, omisit verò secundum, quod tamen ad hanc rem perfectè intelligendam requiritur. Si verò fluētem humorem absolutè reuelli ad contraria Galenus voluisset, non addidisset id verbum valenter, sed dixisset tantùm cùm fluit vt Turino faueret, qui fluentem absolutè humorem reuelli vult, & illum qui penitus fluxit, deriuari.

In verbis quoq; tertij lib. Medicinalis artis interpretandis, longè magis aberrat; cū namq; Galenus inquit, aut reuellendum est, aut certè deriuandum, putat Turinus non posse redargui qui sermonis disiunctim prolati, quam malit partem elegerit, ita deriuatione omissa suscipi posse reuulsio videbitur. Sed falsum hoc est, & huic planè simile, si quis cùm Galenus diceret vel sectione venæ, vel pharmaco curandum, proprio capite, nullaq; ratione, quam malet curandi rationem sequeretur. Itaq;, & ipsi fatemur Galenū ibi voluisse, vniuersum aliquando corpus euacuari, aliquando verò omissa vniuersi corporis vacuatione, solam adhiberi reuulsionem. Si affectus magnus sit, & repletū corpus, totius euacuatio primùm fiet; sin affe- XXIIII *sol. Tur.*

ctus

ctus minor fuerit, neq; plenitudo multa, sola reuulsio adhibebitur. exiguus enim adeò nonnunquã dolor lateris est, vt solis fomentis curari possit, in hanc ergo sententiam illa Galeni verba sunt intelligenda: Fallitur q́, adhuc Turinus, cùm verba Gal. quæ disiunctim iacent, copulatim interpretatur, & id verbum, aut, pro deinde, poni contendit; verba enim manifestè extorquentur; atq; licet certis casibus vniuersum prius corpus euacuemus, deinde reuellamus, repellamusq; præterea, ac tandem dispergamus, non tamen hæc omnia semper fieri oportet, vt ex Galeno potest intelligi, qui ad affectum sanandum, solam nonnunquam reuulsionem sufficere posse inquit. atq; si ille ordo actionũ semper seruandus esset, omninò redargueretur Turinus, qui morbi initio per oppositi lateris venam sectam semper reuellit, operatur enim contra Gal. mentem, qui vt ipse inquit, totum prius euacuare docet; deinde ad contraria reuellere.

XXV. sol. Tur. FALLITVR quoq; in interpretando Paulo, nam putat illum non morbum quidem, sed dolorem curare, maximum præsertim, & qui sit in statu cùm directam adhibet venæ sectionem. Hîc verò miror primùm cur tot præclarissimos authores calumnietur, remediaq;, quæ ipsi in vniuersum, & statim facienda docẽt, ad solum morbi statum velit coarctare. deinde, vt omittam Hippocratem, & Galenum, si Pauli verba II. libro legantur, Turini apertè redarguetur opinio; vult enim Paulus citissimè sanguinem mittendum, non verò statu expectato, ac prætereа rationem reddit cur citò admodum sanguinem mittat, vt .s. securè vtamur repellentibus, quæ ratio statui morbi conuenire non potest, quo tempore nulli medici repellentibus vtuntur. præter id, quòd Galenum sequitur, & ab ipso verba videtur exscribere, cùm in tertio libro Medicinalis artis totum corpus primò docet inaniendum, ad hæc ambo .i. vt euacuatio, & retrocessus fiant. & multò clarius III. commentario iij. libri de vulgar. morb. in interpretatione v. ægri. post tempestatem. Sed agè verba Pauli referamus. cùm
„ (inquit) doloris causa exstrinseca non est, considera ac per-
„ pende acuratius uictus rationem præcedentẽ, num ignauior

minorq́;

„ minorque sit, quàm pro consuetudine recepta, aut cibis pluri-
„ bus maximeque nutrientibus æger vsus sit, aut euacuatio so-
„ lita remoretur; nam si quid horum, aut omnia simul ap-
„ pareant, exuperantiam affluentiamque doloris causam puta-
„ bis, & proinde quàm fieri potest citissimè hominem euacua-
„ tione exonera. Hoc enim modo licebit tibi, ijs quæ dolentiũ
„ partium fluxus repellunt, summa vti cum securitate, si qui-
„ dem sanguis naturæ modum superet, vena continuò secanda est affectam propè particulam. Hæc ille, quæ vel cœcis quidem remedia citissimè, & ante morbi statum paranda viderentur.

SED omissis græcis, cùm Curtius pio quodã officio Arabũ authorum placita cum veritate concordasset, hic etiam carpitur à Turino, & primùm in Auicennæ opinione, qui cùm apertè venam pedis, quam Saphenam dicit, in lateris dolore secari consulat, non potest nobis non aduersari, qui huius secãdæ venæ nullam omninò facimus mentionem. Hic verò rectè, vt opinor, respondit Curtius, eam venæ pedis sectionem non ad curationem, sed ad præseruandi munus pertinere. Sed dictio illa, oppositum, aduersum nos esse videtur, perperamque à Curtio interpretari, quasi oppositum idem quod directum significet; Sed hoc tamen Curtius non dixit, immò verò triplicem nouit oppositi significationem, quæ trinam corporum dimensionem respiceret; inter has verò significationes ea quæ est per longitudinem oppositio, directa ab Hippocrate, & Galeno dici solet. Quòd si Auicenna oppositam etiam dextræ & sinistræ partis intellexit, posintq; verè certisque casibus inter hos terminos reuulsiones reperiri, frequentior tamen est directa illa per longitudinem reuulsio; rara admodum posterior, & quæ ferè nunquam, vt declarabimus, adhibetur. Non igitur Curtius idem esse oppositum, & directum apud Auicennam existimauit, sed hoc tantùm voluit, cùm trahendum ad oppositum in libris arabum legatur, idq; verbum absolutè prolatum sit, intelligi debere de ea quæ est per longitudinem oppositione, quasi hæc oppositi significatio potior sit, & vsitatior. Qui verò dextræ, ac si-

Prima Tur. respon. pro Auicẽ.

nistræ partis oppositionem semper intelligunt, hallucinari. Hanc Curtij opinionem Galenus primùm comprobat, quinto libro de curan. morb. & Auicēna quoq; prima, nona, & vigesimaprima partibus. iij. libri. Sed alio rursus argumento Turinus instat, putatq́; non posse directum cum opposito conuenire, quoniam cùm quarta parte primi libri inter quatuor conditiones quæ in sanguinis missione qualibet seruari solent, vna sit quæ directæ, alia quæ oppositæ partis rationem habēdam velint, non videntur idem esse posse oppositum, & directum. At qui dissident profectò directum ac oppositum; sed non ita tamen intelligendus est Auicenna, vt sicuti in mittendo sanguine rectitudo seruatur, ita seruanda sit oppositio, nec enim hoc dicit, nec tam absurdè sentire potest; Sed hoc loco opposita pars intelligenda est, quæ altera sit diuersaq́ue; nam non debet ab ea ipsa quæ afficitur parte sanguis mitti; sed altera quærenda est, quæ aliqua oppositionum prædictarum opponatur, inter quas rectitudinem dicebamus esse præcipuam. Sunt igitur in mittendo sanguine quatuor conditiones attendendæ. Prima est partis diuersitas, quæ, & oppositio (ne de nomine contendamus) dici potest; secunda affinitas, tertia rectitudo, quarta opportuna distantia, quæ inter se dissident, & à Curtio declarantur. Alter verò locus prima parte. iij. libri, nostram sententiam confirmat, neq; reijcitur à Turino. Putat enim Curtius oppositi siue contrarij verbum idem quod directum aliquando significare, idq́; Auicennæ testimonio, qui adducto iam loco ita inquit. Et cadat in contrario partis capitis; vbi de contrario secundum rectum Iacobus Foroliuiensis magnus quantum sua ferebat ætas medicus, interpretatur. Non igitur ignorauit Curtius contrarias inuicem esse anteriorem, & posteriorem capitis partem, sed contrarij verbum aliquando secundum rectum exponi voluit, quod iam testimonio Iacobi comprobauimus. Sed iam ad ipsa Auicennæ verba accedamus, in quibus intelligendis lis versatur. Inquit. Ex rebus communibus est phlebotomia. i. sanguinis missio per venæ sectionem; Hoc idem & Curtius fatetur, Cùm verò & magnæ venæ secari possint, & multæ

quædam

quædam paruæ scarificari, Turinus scarificationem quæ fit cùm oppositæ sunt cucurbitulæ, commune remedium esse negat, idq; fingit non agnouisse Curtium, qui tamen sanguinis missionem commune remedium appellauit. Vbi verò cucurbitulæ ab Auicenna excludantur, erit sanguinis missio commune dubio procul remedium in pectoris & pulmonis inflā-
„ mationibus. Addit Auicenna; Sed in principio ex latere diuerso. inquit verò Turinus hic Curtium interpretari .i. non à loco læso; quod falsum est, si eius liber legatur. Miratur deinde cur Curtius dixerit quosdam morbi initio Cucurbitulas dolenti loco affixisse, & tamen qui nam hi fuerint, ibi quoque declaratur. Sed demus Turino, ea verba ex diuerso, idem quod ex opposito significare; quid enim consequetur? nam vt ille, secundum latitudinem, ita nos secundum longitudi-
„ nem id oppositum intelligimus; illa verò verba; Et magis fe-
„ stina ex saphena, vera esse dicimus in præseruatione. Vnde iure omnes condēnari debent, qui initio morborum remotas & nihil iuuantes venarum sectiones aggrediuntur. Omitto dicere, quòd eodem capite, & curatio, & præseruatio tradi possint, quod iam Curtius indicauit. Id verò videndum magis, num distantes venæ præseruationibus, proximæ curationibus propriæ sint, hoc enim putauit Curtius, cui aduersatur Turinus; nam in podagricis eadem videtur esse vena secta cùm præcauemus, & cùm curamus. At hic Curtij opinionem nō intellexit; In præseruatione enim distātes venæ secari debent; sed tamen primùm reperiri illas oportet, aut nihil obstare quo minus illas secemus; Exemplo sit dolor capitis, in quo venæ crurum præseruandi gratia secantur, cubitorum autem curādi; Hoc idem in podagricis fieri deberet, sed proxima caremus vena, nisi quis in ipsa affecta parte secare vellet, quod fieri non potest ob illam rationem, quia proximæ quidem venæ, non verò ipsius affectæ partis secandæ sunt. Hic igitur vnica erit vena distans, qua podagricos curemus, & ab affectu præcaueamus, idq'ue fiet nobis inuitis, qui proxima caremus vena magna, magnam dico quoniam è paruis nil mentione dignum educi, Galenus putauit. Cùm igitur in lateris dolo-

re partes illæ in quibus magnæ venæ secari solent, affectu liberæ sint, poterit vtrinq; præseruatio in pedibus, & curatio in cubitis dissectis venis tentari, & variæ omninò venæ erunt curandi affectus, & præcauendi. Sed ad Auicennæ verba
„ redeamus. Et post ipsam de basilica opposita in latitudine.i.
„ ab eadem parte; hanc interpretationē adscribit Turinus Curtio, qui tamen proprio libro aliter exponit, nec etiam iure reprehenditur, si quidem oppositum in latitudine, & in longitudine, in eadem dextra vel sinistra parte intelligantur, nam dextra ipsa pars latitudinem propriam habet lōgitudinemq; & profunditatem, quarum singulæ duobus oppositis terminis continentur, ac fit ex duabus latitudinibus vna latitudo, sicuti ex duabus partibus vnum corpus. Quid ergo prohibet quin ipsi Auicennam cum Galeno & Hippocrate cōciliantes, oppositum in latitudine, in eadem latitudine dextræ vel sinistræ partis oppositum intelligamus? Sequitur Auicenna; De-
„ inde post aliquos dies ex latere contrarietate in latitudine scili-
„ cet mittatur sanguis; Exponit Curtius hoc fieri cucurbitulis affectæ parti affixis; sed obstare videtur Auicenna, qui postea
„ inquit; Et quandoq; ponuntur ventosæ supra pectus cum sca
„ rificatione, etiam ita vt attrahatur materia ad exteriora, &
„ minoretur, & proprie cùm præmissa sit phlebotomia.

Si ergo hic de cucurbitulis loquitur, quo modo supra alia de re non erit intelligendus? Hic dico potuisse Auicennam bis de cucurbitulis mentionem fecisse, nec hoc inconuenit, immò varias ob causas, & primùm, & postea affigi possunt; Priores igitur cucurbitulæ iam fluxo humore, & morbo inueterato conueniunt, humoremque educunt, qui in affecta parte cōtinetur, posteriores, initij morbi sunt, & fluentis humoris, qui hoc modo nonnunquam reuellitur, vt Alexander Trallianus est author. erit ergo sensus, Quandoque.i.cùm multa nō est copia sanguinis, ponantur supra pectus ventosæ cùm scarificatione, vt materiam diuertamus, & propriè cùm sanguinis misio præmissa fuerit. Et hoc pacto Auicennæ opinio cum clarissimorum virorum scriptis conueniet. Turinus verò inconstans omninò est, nam inquit sanguinem qui in colore mu-

tatur

tatur omninò è vena affectæ parti directa vacuari, sed tamen præintelligi reuulsiones debere, vt.s.primò mittatur sanguis ex pede, deinde ex affecta parte, si prior misio non sufficiat. Sed cur Auicennæ decretum non seruatur; qui, se teste, saphenam prius, deinde oppositam, demum affecta ex parte venam secat? si verò hoc fiat, quantæ fient misiones sanguinis? Quàm etiam perperam intelligetur Auicenna, qui sequẽti capite eandem venam eadem parte vbi prius secta fuit, docet aperiendam? Sed & venæ vulnus oleo et sale præparari docet, vt sanguinis misio reiteretur; non ergo multæ misiones sanguinis adhibendæ sunt; sed in pede, vt diximus, præcauendum est, & incipiente affectu vena secundum rectitudinẽ opposita eligetur, è qua semel, aut iterum sanguinem auferemus; demum cucurbitulæ affectæ parti affigentur, ita Auicenna à sapientum decretis non recedet.

Ad Auenzoar accedamus, qui & ipse sibi patrocinari creditur à Turino; in quo intelligendo primùm quærit Turinus qua in re, vt Curtius inqt, Auẽzoar à quibusdã medicis disideret? Hoc verò disidium non aliud erat, quàm quòd illi rectitudinem non seruari, nec vllius esse ad sanandum momenti credebant, at Auenzoar contrà, & seruandam, & maximi faciendam consulebat; Nec enim solam superioris inferiorisq; contrarietatem sufficere, sed rectitudinem adhuc & affinitatem in secandis venis requiri. vnde in capitis affectibus cephalicam, quam nos humeralem appellamus, secandam docet, directam certè, & communicãtem; priores verò medici rectitudinẽ, quæ communicantiam, & propinquitatem dicit omittebant, & seruata duntaxat superioris & inferioris contrarietate, venam mediam, quam medicorum vulgus communem appellat, in affectibus capitis secabant. Cùm verò infert Turinus idem non esse directum, & oppositum, rem proprio capite effingit, & refellit; nec enim alius præter Turinum hoc affirmauit; lõgè verò magis increpandus est, cùm in vteri affectibus brachij venam directam, oppositamq; dici fatetur, pedis verò directam quidem, sed non oppositam; nam quæ ratio discrepantiæ potest esse? vt enim vterus brachio collatus deorsum est,

Cõcordia Auenzoar cum Græcis, male dãnatur à Turino.

& oppositus; ita si conferatur cum pede, sursum, & oppositus erit; Accedit quòd in chiragra affectis, venæ pedum initio secantur; erunt igitur manibus pedes oppositi, Turino et consentiente, qui oppositas venas morborum initijs secandas iubet. Pedes ergo ita vtero opponentur sicuti manibus, nec vlla in re videbuntur differre, præterquam distãtia, quæ maior multò est inter pedes & manus, quàm inter pedes & vterum; Quòd verò inchoantibus vteri morbis, pedum vena secetur, id apertè Galenus inquit. xiij. libro de curandis morbis; Non igitur effugiet Turinus, quin pedes vtero oppositos fateatur, si morborum initijs oppositæ semper venæ suo consilio secandæ sunt. Ludit autem Turinus cùm idem videri inquit, si quis oppositum directum dicat, & Deum Diabolum appellarit, nam quo sensu directum quandoq; dici possit oppositum, supra docuimus; quod idem directum Hippocratis & Galeni consilio, & natura præterea, quæ primus est medicus, consentiente, commendatur. Fuisse verò medicos qui morbi initio cucurbitulas affixerint, antea quoq; meminimus, cùm Auicennæ verba, ad Alexandri Tralliani sententiam Græci, & nobilissimi medici reduceremus; Scarificationem quoq; minuitionem appellari Curtius ostendit, quam certè missionem sanguinis cum cucurbitulis Galenus appellauit. lxviij. Commento quinti libri aphorismorum. Sed hæc missa faciamus, cùm à Curtio fusius explicentur.

Cõcordia Rhazis, cũ græcis perperã cõfutatur à Turino.

IN Rhazis quoq; concordia cùm Curtius ea verba interpretatur, „ Ex contraria parte in qua est oculus infirmus .i. ab eadem parte, repræhenditur à Turino, sed perperam; nam ea pars in qua oculus est, dici potest contraria in qua est oculus infirmus, si contrarium secundum rectitudinem intelligatur. At inquit Turinus idem videbuntur esse & contrarium, & idem latus; cùm igitur rursus in lateris dolore, qui à sanguine fit, venam oppositam Rhazis secat, cur hic rursus de contraria secundum rectitudinem non intelligitur? Ego verò primùm dico non dixisse Curtium idem esse contrarium, & idem latus. Et deinde id animaduertisse in Rhaze exponendo, Rhazim venam directam in bilioso lateris dolore consulere secandam;

in eo

in eo verò qui fit à sanguine venam primùm alterius brachij, deinde directam. vnde apertè liquet, oppositam in parte nō affecta non esse semper secandam, vt Turinus arbitratur; nisi Rhazim quoq; in bilioso morbo de statu tantùm loqui putet, in sanguineo de statu, ac initio, quod omninò absurdum esset. Quòd si dicat alteram oppositæ partis venæ sectionem præsupponi in affectu qui fit ex bile, fallitur etiam; nam ratio reddi non potest, cur eodem loco vbi de vtroque lateris dolore habetur mentio, alterum altero absolutius curaretur; Sed]& idem Rhazis.ix.libro qui inscribitur ad Almansorem, venam ab eadem parte secandam docet, nisi multo sanguine corpus abundet, quod exponi debet, cùm affectus à sanguine oriatur, vt à Curtio didicimus. Errat verò Turinus, cùm putat corpus repletum esse non posse, nisi lateris dolor ortum ducat à sanguine. Sed hæc missa faciamus, & illa præterea, quæ aduersus Haliabatis opinionem Turinus affert, quæ cū exactè ex Curtij verbis refelli possunt, ad solutiones rationum Curtij, quæ à Turino allatæ sunt accedamus.

PRIMVM verò deridendum est figmentum quoddam Turini, quo ex tribus corporis partibus amplis quidem & capacibus, quas ventres appellat, reuulsiones ac deriuationes in morborum curatione variandas esse putat, pro ea quæ est inter vētres hos varietate. Hæc enim cū ex multis quæ supra diximus confutari possunt, tum ex Galeno præcipue, qui.xiij. libro de curan. morbis, vbi iecur, pectus, pulmo, & cor inflammationem pati inceperint, eandem venam secandam monet; non ergò ob infimum iecinoris, & medium præterea cordis, & reliquorum ventrem, quod ad secandam venam attinet, varia debet esse curatio. *Prima sol. Curtij rationum diluitur.*

IN secunda verò ratione cùm Curtius venæ sectionem quæ fit in angina, cum ea quæ fit in dolore lateris contulisset, dissimilem prorsus putat Turinus esse similitudinem, ea præsertim ratione, quòd alia distantia est venæ humeralis & anginæ, alia internæ & lateris doloris. Hæc verò nulla prorsus videtur esse varietas, cùm internæ venæ ortus tantum distare à dolentis lateris loco possit, quantum humeralis ortus ab angina; va- *Secunda sol. Tur.*

rijs

rijs enim pectoris locis, dolor lateris oriri potest, & quandoq; ita potest ab internæ venæ ortu distare, quanta est colli magnitudo, quæ inter anginam & venæ humeralis ortum continetur. Mitto quòd à cubito ad anginæ & dolentis lateris locum eadem ferè intercapedo loci videtur, quo fit, vt eisdem saltem modis, si non venis, vtriusq; affectus reuulsiones, & deriuationes fiant.

III. fol. Tur. DVPLICI deinde fundamento tertiam Curtij rationem refellere nititur, primùm quòd particularis est casus materiam dicere pro parte fluxam esse ad vicinas inflammationi partes, antequam fluat ad inflammationem; præterea quòd ex adducta Gal. auctoritate parum est omninò quod initio affluxit. Cui respondemus, Galenum voluisse non quodam casu, sed in vniuersum in omni inflammatione facienda, venas vicinas repleri, priusquàm humor ad ipsum locum inflammationis feratur. Quòd verò parum initio affluxerit, id si de loco inflammationis intelligatur, verè dicitur, sin de locis quæ inflãmationi circunstant, multis Gal. locis quæ ante adduximus refelli potest; Qua de re verba facere necesse non est, nobis præsertim, qui directam venam secamus, cùm circunstantes inflammationi partes repletæ sunt.

IIII. fo. Tur. CVM verò quartam Curtij rationem non refellat, sed aliquid in eam se dicturum aliâs profiteatur, videamus quid dicat ad aliam, in qua certè mirum videtur, quòd adscribat magnum quoddam erratum Curtio, quod ne quidem somniauit; nam inquit Curtium voluisse reuulsionem fieri ad motus humoris contrarium, euacuationem verò læsæ partis, ad partis contrarium faciendam; Fuit autem Curtij sententia, vt cùm humores ad loca contraria trahuntur, reuelli quidem dicantur, si ad motus contrarium sint tracti; in hac verò ad motus contrarium tractione, quãdoq; à læsa parte euacuationem fieri contingere, quandoq; minimè; quæ verba à nemine sanæ mentis negari possunt, sicuti nec illa, cùm eandem venæ sectionem dicebamus reuellentis simul, & deriuantis nomen subire posse.

HIS verò omissis, multas eligit conclusiones Turinus, quas nullo seruato ordine modò confirmat, modò refellit. Sed vt

lectores

lectores rem clarius intelligant, libet mihi initio à prima facto, reliquas sub solutionum nomine subtexere, & illas quidem quasi ad quinq; superiores apponere.

PRIMVM verò contendit Turinus venæ sectionē incubito quæ fit in lippitudine affectis, reuulsiuam esse, licet non hoc tantū sed deriuatiua etiam dicatur à Curtio; Cùm igitur vtroq; consentiente reuellat, qua ratione id faciat Turinus quærit, non videtur autem reuellere, inquit ipse, quia à primo ad mediū ventre trahat, nam potius ad extra trahit; neque quia ad cōtrarium motus humoris (ita enim à sursum deorsum trahimus, vt humor à suprema capitis parte tendit ad oculos) ergo reuulsiua erit, quia ad contrariam trahit partem; Sed hoc planè somnium esse videbitur, si ea ad memoriam reuocemus, quæ de reuulsione ad motus cōtrarium dicta sunt; Præter hoc autem refelli potest, quia si hoc ita haberet, venarum sectiones quæ vtero patiente in poplite, vel malleolis fiunt, reuellentes appellari posset, cùm ad partem contrariam humores trahant; non minus enim sursum est vterus si conferatur cum pedibus, quàm sit caput respectu brachiorum. Si uerò reuellentes dicantur, iam planè à Galeni placito discedemus. *VI. solu. Tur.*

NONNULLÆ postea afferuntur authoritates à Curtio, quas effugere videtur Turinus hac ratione, quòd humorem iam fluxum esse supponunt; Eius autem opinio in fluentibus humoribus verificatur. Sed multa hic memoria repetere oportet, et illa maximè quæ diximus de fomētis quæ, in fluentibus etiā humoribus, & adhiberi, & sanare possunt; Item repellentia initijs tantùm morborū apponuntur. Et cucurbitula quoq;, non secundum reuulsionem, sed per solam partis euacuationē, ægritudine aliquando liberauit. In morsibus etiam canum ad quos humores omnes feruntur, à fixa cucurbitula sanari homo potest, etiam si nulla humorū reuulsio præcesserit. Quare fallitur Turinus, qui reuulsionem præcessisse ante partis vacuationem in quolibet affectu, existimauit. Item fallitur cùm si à dextra parte humor ad sinistrā feratur, humorē ad dextrā reuellendi gratia trahendum putat, ita enim ad motus contrarium trahi videtur. Fallūtur quoq; & Benedictus Victorius, *VII. sol. Tur.*

& Victor Trincauellius hac in re, & reuellendi modum videtur ignorare; nam humor ad eam partem trahi non debet vnde primò discessit, sed sola duntaxat tractio ad motus contrarium in reuulsione requiritur. Quòd autem dextra vena in dextro dolore lateris magis ad contrarium motus trahat, & reuellat, quàm sinistra, id Hippocrates, & Galenus multiq; præclarissimi viri crediderunt, & optima sanè ratione, vt probauimus. Sed præter hæc, ortus ille inflãmationum, de quo antea locuti fuimus, ad memoriam reuocari debet, in quo quidem maiores primùm venæ, deinde minores, & demum læsa ipsa pars repletur, hic enim si retrotrahere humores velimus, vena edirectò secta, vicinas inflammationi venas vacuamus, in quas paruarum humor retrocedit, & is demum reuellitur, qui ad inflammationem fluebat, sed hac de re cùm negotium erit cum Vesalio, diligentius pertractabitur.

VIII. so. Tur. Ex his ergo corruere videntur quæ postea Turinus supponit, nõ enim ad motus ortum humor trahendus est, cùm reuellitur, sed sufficit quòd ad contrarium motus ducatur. Sed instat Turinus, si retrocessus fieri debet ad longinquam partem, cur non magis distans vena quàm proxima dicetur eligenda? Hic verò non negamus, quin si fieri posset distantissimam ad partem reuellendum esset, sed hoc dicimus aut fieri non posse, aut rarò, aut magno fieri cum detrimento; atq; non ob hoc reuulsio tollitur, quæ proximè fit, sed omninò reuulsio dici debet, si retrocessus fiat, isq; vel ad proxima, vel ad longinqua fiat reuulsionis nomen meretur. Cur verò in dolore lateris sanando, proximas magis quàm remotas venas eligamus, ratio redditur à Curtio, ea præsertim, quòd nimiam sanguinis copiam educere oporteret, si reuellere per distantem venam vellemus, præter id quòd Hippocrates, & Galenus aliquid etiam initio à læsa parte educere consuluerunt, quod fieri nequit nisi in affectibus proximas semper venas secemus, præsertim si nil rectæ huic rationi obsistere posse videatur.

IX. solu. Tur. SED obiter ea etiam refellenda sunt, quæ hic in authorem quędam dixerunt, qui asseruit morbi iudicium ac permutationem

quæ

quæ fit à natura secundum directam partẽ omninò fieri; Contrà Turinus id quidem nonnunquum fieri dicit, sed non eo tempore quo in permutatione morbi, ab vna ad aliam partem directam, humor à parte vel à toto ad aliquod membrũ expellatur. Quæ verba expresè aduersantur Hippocrati, qui. vi. libro de vulgaribus morbis aphorismo. vij. secundæ partis rectè factum esse inquit, cùm dextra angina in dextrum lateris dolorem permutata sit, quòd si in sinistrum migraret, iam non esset angina in dolorem lateris permutata, sed id à nouo humore factum esset; quoniam natura è dextra ad sinistram partem non expellit, sed ab eadem ad eandem. Quare & ipsi dicemus venam secundum rectitudinem secandam esse, cũ à læsa parte aliquid educere voluerimus, atque hoc alia præterquam directa vena fieri nequit, vt dictum est. Accedit quòd non solùm reuellere in dolore lateris intẽdimus, sed à loco affecto trahere, vt Galeno pareamus, hoc idem secundo libro de rat. vi. aucut. morb. Commento decimo consulente. Itaq; vnicam adhibemus venæ sectionem Galeno teste, è qua cito à læsa parte humor educitur, qui iam ex parte fluxus, alium ad se doloris, calorisq́; ratione aduocabat.

CVM verò inquit Turinus Curtium voluisse ex Gal. quoq; testimonio, libro de reuulsione, humorem qui à dexta parte fluit, trahendum esse ad sinistram, figmento prorsus vtitur; nec enim ita iacent Galeni verba, nec ita Curtius locutus est, sed hoc potius modo; Cùm humor ad dextrum fluit, ad sinistrum trahatur, nam ad dextrum fluere dici non potest, nisi fluat à sinistro. si enim humor à iecore ad dextram pectoris partem feratur, ob dictam causam non dicetur ad dextrum fluxisse, cùm, & id pectoris latus, & Iecur in eadem sint dextra parte, hic autem motus non ad dextrum, sed sursum versus fieri dicendus esset. Et si verò Galenus, humorem ad dextrum reuelli dicat, qui à dextro ad sinistrum fertur, attamen cùm raro admodum hi fluxus fiant, qui dextræ, & sinistræ partis terminis cõtinentur, cùmq́; nulla sit inter has partes rectitudo, nullaq́; affinitas, non videtur nostra ratio, vt & antea diximus, reprehendi posse, si quidem ad motus humoris op- *X. fol. Tur.*

positum verè reuellimus, atq; magnis euacuatis venis, paruas quoq; inanimus, quadam humorum successione; Et deriuationem quoq; vnà cùm reuulsione efficimus, aliaq́; permulta, quæ iterum referre non oportet; Neque Galeni regula in paucioribus videbitur verificari; nam fatemur humores omnes fluentes ad oppositum semper reuellendos esse. Quòd si rara quædam dextrarum & sinistrarum partium oppositio reperiatur; hinc fieri non potest, vt Galeni regula falsa dicatur; nulla etenim veritas ex ijs quæ rarò accidunt impeditur Et vera est defectus lunæ causa, etiam si rarò contingat; ita nos ad oppositum reuellendum esse consulimus, tametsi motus quidam vel exilis vel rarus, inter dextram & sinistram partem contingat.

XI. fol. Tur. Sed cùm illo postea fundamento Curtius vsus esset, quòd dolor statim remoueri, vel mitior reddi debet, idq; melius fieri per venam directam, quàm per oppositam, occurrit Turinus, atq; inquit, paruum initio dolorem esse, magnam verò plenitudinem; illo igitur omisso hanc auferendam, tanquam præcipuam fluxionis causam, opinatur. Sicuti & in febribus, si paruus adsit calor, illo prætermisso ad obstructiones remouendas accedimus, quibus remotis, febres ex sese sanari solēt. Hic verò paucos omninò dolore lateris ægrotantes Turinus se vidisse indicat; nam vniuersi ferè primis statim non diebus modò, sed & horis, intensissimè affligi solent, & cruciari. Sed demus paruum etiam dolorē esse; non ne & ex ipso quoque paruo, non modica fluxio excitabitur? Testis planè Galenus est.v. libro de curan. morb. cùm inquit nihil posse inflāmationes augere, & fluxiones excitare valentius, ac facit dolor. Hoc idem verò & in paruulo aliquando vlcere conspeximus, quod magnas ad sese fluxiones trahebat, præter id quòd curationes ab his quæ magis vrgent inchoandæ sunt; quod testatur Galenus. vij. libro de curan. morb. & alibi, & Auicenna etiam.iiij.parte primi libri, & cōmunis schola medicorum. Cùm igitur in dolore lateris humor adsit fluens, isque qui in inflammatione continetur, & dolor, qui nouam fluxionem excitat, & morbum auget, cùm ægrotantem

tem non affligat modò, sed admodum etiam debilitet, à dolore curationem inchoamus; Hippocrate præsertim teste, qui fomenta, venæ sectionem, & pharmacum doloris maximè causa videtur adhibenda consuluisse. Galenus quoq; xij. libro. de curan. morb. doloris curationem non symptomatis, sed affectus curationem esse dicit, quoniam dolor fluxiones excitat, & morbo parat incrementa. Quæ verò de febribus Turinus inquit, aduersus ipsum faciunt, vt enim ipse obstructionem remouet, ne noua accēdatur putredo; ita nos dolorem sedamus, & lenimus, vt morbi causas remoueamus, quæ ex ipso pendent; Neq; plenitudinem omittimus, vt hic vir existimat, quinimmò eam simul cum dolore remouemus, quæ alioquin tanti facienda non est, cùm ex sese nisi à dolore excitaretur nullam fluxionem, neq; ad læsam magis quàm ad non læsam partem irritaret.

ALIO deinde Auicennæ testimonio Curtius vtitur, quo monemur dolorem antea mitigare, quàm humores ad oppositum reuellantur. Sed inquit Turinus, non sequi ob hoc venam edirectò secandam esse, dolor enim non in totum auferri debet, præsertim cùm paruus sit morbi initio, atq; si penitus delēdus esset, non ea est directæ venæ vis, vt dolorem prorsus auferre posſit. Ipsi verò hoc lubentes admittimus, non esse penitus auferendum dolorem, neq; facilè id fieri posse; attamen magna ex parte sedari, ac mitigari admodum debet, quod et fomenta efficiunt, & venæ sectio edirectò. Hoc autem subsidium longè fomentis est efficacius, quandoquidem post adhibita fomenta, dolor qui remitti videbatur, rursus augetur, & vehementius affligit. Quare tutiori subsidij genere vtentes, venam edirectò secamus. Quòd autem dolor censeri non debeat paruus morbi initio, id ante à nobis ostensum est. In Auicennæ verò verbis figmentum planè est quod Turinus attribuit Curtio, nam tantùm abest quòd Curtius oppositum idē quod directum sit interpretatus, vt nec vlla etiam oppositi mētio sit in Auicenna; sed diuersi magis vtitur nomine, quàm oppositi. Diuersum verò nihil aliud significare videtur, quàm non idem, & diuersa pars intelligitur, quæ non eadem est cū

XII. fol. Tur.

affecta

affecta; Itaq; non proficientibus fomentis pro doloribus sedãdis, vena secabitur directa, quod & Auicenna prorsus voluisse videtur, etiam si non admodum clara sit eius oratio. Directæ enim venæ hoc præcipue munus est, vt dolorem sedet, quòd si secus Turinus fecerit, suo aduersabitur Auicẽnæ, qui ad diuersum trahi non concedit, nisi dolorem quibus poterimus ingenijs mitigauerimus.

XIII. sol. Tur. In Galeni quoq; verbis non minus errat Turinus, cùm enim XII. libro de curan. morb. Galenus inquit optimum esse remediũ cuius libet doloris remissio, quæ vel morbi causam penitus remouet, vel ex parte remittit, id inquit Turinus in dolore lateris, qui per defluxum humorem fit, veritatem non habet, sed in alijs fortasse morbis, qui per defluxum non oriuntur. Quòd si Hippocrates, & Paulus aliter sentire videantur, iam inquit eorum opinionem fuisse declaratam. Sed quàm Hippocrates quãq; Paulus aduersentur Turino, iam expositum est. Hic verò nil dici potest alienum magis à veritate, quàm Galenum adducto loco de morbis qui per humorum defluxum fiunt non loqui; nam si quis ab illa sententia excludendus esset morbus, solus is esset retinendus, qui per defluxum oritur, qui, vt ante diximus, ad augendos dolores, ac trahendos humores maximè aptus videtur; quo enim crebriores humorum fluxus fuerint, eo facilius ad dolentem partem feruntur, vnde in his humorum fluxionibus, morbi uehemẽtius inualescunt.

XIIII. sol. Tur. Qvid verò cùm Galenum proprio de reuulsione libro vsum impropriè fuisse nomine reuulsionis existimat; certè nil dici ab eo potuisset, quod magis abhorreret à veritate.

XV. sol. Tur. Cvm verò putat corporis in tres ventres diuisionem, ad reuulsiones intelligendas vtilẽ esse, & in longitudine tantùm non

XVI. sol. Tur. etiam in latitudine ponendam, rem planè fingit; Itaq; figmẽtum hoc suo authori relinquamus. Ea verò diuisio à nobis suscipienda est, quam Hippocrates, & Galenus, in plures, quàm Turinus nouerit partes tradiderunt, de qua II. parte VI. libri de morbis vulg. habetur mentio. Porrò neq; latitudinis diuisio inutilis est, vt in Arabum placitis declarandis, ipsi supra

monstrauimus,

monstrauimus, neq; multi facere oportet Turini inuecta, neq; ea, quæ aliâs aduersus Manardum dicturum se pollicetur, quãdo ex his intelligi potest, nihil illum adhuc attulisse vel allaturum esse quod refelli non possit.

SED laborãdum non est vt sequenti Turini dicto occurramus; cùm antea id quoq; confutatum sit; variæ enim omninò venæ in curationibus, & præseruationibus secari debent; idq; vt plurimum fit. In podagra verò cùm nulla reperiatur proximior secanda vena, quàm cubiti, vnica ipsa cogimur, & curationi, & præseruationi satisfecisse. XVII. sol. Tur.

PLANE verò fingit cùm inquit Curtiũ voluisse tunc ad longissima reuellendum, cùm propositum est reuellere sine vacuatione; nec enim putauit illam reuulsionem sine vacuatione fieri, si vena ad reuellendum secta fuerit, sed humores duplici modo reuelli dixit, primò cùm è uicinis partibus educuntur tantùm, neq; ulla portio eius, qui iam in loco est inflammationis, vacuatur; deinde cùm vnà cum hoc vicinarum partiũ humore, aliquid ex ipsa inflammata particula retrocedit; Prior reuulsio tantùm dicitur, & reuulsio sine vacuatione, nõ absolutè quidem, sed sine vacuatione læsæ partis. Quæ si dicatur sine vacuatione, ita intelligi debet; Priori igitur vtimur cùm ad longissima reuellimus. Et sunt præterea quædam reuulsiones, quæ sine corporis vacuatione quandoq; fiunt, vt frictiones, ligaturæ, & eiusmodi, quas simul cum prædicta reuulsione puras, vel reuulsiones ea tm̃ ratione possumus appellare, ꝙ nil à parte q̃ afficitur educũt. Minus verò mirari debet Turin. si humorẽ qui reuellitur, & extra corpus educitur, quasi ad longissima reuulsum Curtius dixit; Potest .n. & hic humor longissimè omninò ductus existimari, cùm, & extra corpus sit eductus, & ad affectam partem fluere adhuc nõ potest. Quæ verò in oculorum angulis venæ secantur, etiam si extra corpus sanguinem emittant, reuellere ad longissima dici non poterunt, cùm nullo pacto reuulsionis nomen mereantur. XVIII. sol. Tur.

SED ad eas responsiones accedamus, quas sibi ipsi Cutrius dedit, in quibus refellendis, cùm priores Turinus omittat, quasi alicubi I. & II. Tu. resp. & desiderantur

alicubi de illis verba facturus, illas quidem verè, & doctè tractatas existimabimus.

III. responsio Tur. Cvm verò quærit, qua ratione Hippocrates venæ sectionem quæ dolore descendente ante pharmaci exhibitionem fieri debet, silentio præterierit, & hoc loco quoq; fallitur, frustraq́; conatur tanti viri authoritatem in suam sententiam trahere; nã Hippocrates pharmacum exhibet descendente dolore, quoniam humor qui & inflammationem efficit, & vniuersum corpus replet, inferiores ad partes fertur eò inclinante natura; Hunc ergo humoris motũ insequi medicus debet, licet fortè ex alia quapiam indicatione sanguinis missio præscriberetur. Cùm item sursum repunt humores, tunc illos naturam etiã imitantes, per venæ quæ supra sit sectionẽ educemus, & placitum Hippocratis exequemur. Quòd verò Turinus inquit, fuisse quosdam sapientes qui, in Hippocrate intelligendo venæ sectionem, ante pharmacum adhibitam præsupponunt, res planè fictitia est, aut si quis ita existimat, in sapientum numero non debet haberi. si autem hæc oppositæ venæ sectio, vt Turinus, inquit præintelligi debet, cur eodem pacto in iecinoris affectibus non præsupponitur? Quod si fiat, quid ab Hippocrate, quid à Galeno, quid à veritate magis abhorret? Fatemur verò reuulsiuam venæ sectionem Hippocratem non expressisse, secundo præsertim libro de rat. vi. acut. morb. sed tamen mentionem non fecit nisi directæ sectionis, cùm maximè id addatur quarto libro, quod fuerat in secundo prætermissum, atq; cùm hac de re multa quoq; supra dixerimus, laborandum non est, vt rursus monstremus quid de ea viri sapientes existimauerint. Cùm verò ait pharmacum purgans exhiberi non posse, nisi facta iam concoctione, vtinam & Turinus & multi hoc tempore medici, hanc sententiam magna saltem ex parte sequerentur, vix enim dici potest quanta incommoda superiori & nostro etiam tempore secuta sint, ob intempestiuas pharmacorum exhibitiones, quas mali medici aut ob inscitiam, aut lucri cupiditatem, non semel tantùm, sed multis etiam vicibus, in singulo quoq; morbo præcipiũt, cùm tamen id in vniuersum docuerit Hippocrates concocta

mouenda, purgandaq; non cruda nisi turgeant. Quo fit, vt duo tantùm tempora pro pharmacis exhibendis statuẽda sint, alterum cùm turgent humores, alterum cùm iam concocti sunt, non verò vnicum, vt Turinus hoc loco videtur existimare. Præter id, quòd non agnouit idem præcise esse tempus (vt & antea quoq; diximus) secandæ venæ, & exhibendi pharmaci, adhibita tantùm distinctione quòd ascendat dolor vel descendat; neq; Galenus opinioni Hippocratis aduersatur, vt intelligi planè potest ex ijs, quæ extremo quasi libro sunt à Curtio pertractata. *VI. solut. Tur.*

COGIMVR obscurè multa, & cõfusè dicere, cùm & Turini ordinem sequamur, & breuitati studeamus; attamen diligenti lectori, quiq; nostræ opinionis ea fundamenta intellexerit, quæ posita sunt à Curtio, plana satis, & aperta erit oratio.

DOLOREM verò, quod sæpe antea cõfutauimus, paruũ esse morbi initio putat Turinus, qua in re non videtur intellexisse summos sæpe, & vehementissimos morborum initijs dolores, excitatos esse, qui curationem ad se trahentes, prima remedia exposcere videantur, & præsertim cùm Galenus dicat dolorẽ vehementius reliqua omni re, & fluxiones irritare, & inflãmationes augere posse. *IIII. Respõ. Tur.*

REDDIT rursus ad reuulsionẽ longissimam, sed confusè ad modum, & obscurè. Qua in re reuocanda sunt ad memoriã quæ supra diximus, vbi reuulsionem puram appellauimus quæ sola fit, non purã quæ cum deriuatione coniungitur. Item reuulsionem cum euacuatione de qua loquimur, sine vacuatione cũ ligantur vel fricãtur exstremæ partes. Demum quæ cum euacuatione fit, vel cum læsæ partis vacuatione iungitur, vel læsam partem non attingit. & hi sunt in totum modi reuulsionum. Qui igitur ad oppositum motus humorem trahit, simulq́ue euacuat aliquid à læsa parte, hic non longissimam sed proximam facit reuulsionem; qui contra, nihil à læsa parte ducit, venamq; secat remota in parte, ad longissima dicetur reuellere, idq; Hippocrates, & Galenus senserunt. Fallitur ergo Turinus cùm putat voluisse Curtium, longissimam reuulsionem sine vacuatione absolutè fieri, nec enim ab- *V. Resp. Tur.*

solutè sine vacuatione dicimus, sed sine vacuatione affecti loci. Fallitur quoq; cùm eandem venæ sectionē reuellentē simul ac deriuantem reperiri nō posse credit; nam si reuulsio ad motus oppositum fit, deriuatio ad latera, quî, fieri poterit vt vtroq; nomine venæ sectio non appelletur, quæ ad oppositum, & ad latera simul trahat? Hoc idem & Galenus comprobat II. libro ad Glauconem, cùm patientibus membris extremis, ex alteris, & coniunctis euacuandum censet, vel reuellendi gratia vel deriuandi. Vt cōsultò prætereeam eandem vacuationem quam Galenus IIII. & V. libro de curan. morb. deriuatiuam appellat, rursus proprio de reuulsione libro reuulsiuam appellari. Neq; obstat reuulsionem ad remota vt plurimum fieri, deriuationem ad propinqua; & hanc firmatis pro parte humoribus, illam valenter irruentibus; hæc enim vt & ante diximus, in reuulsionis, ac deriuationis ratione non intelliguntur, cùm, & ad proxima reuelli, & ad remota deriuari possint humores, modò vel ad oppositū vel ad latera motus trahantur. Humores igitur firmati nō propriè reuelli, aut deriuari dicētur, sed à loco vacuari, licet et impropriè hæc eductio deriuatiua dici possit, quasi de riuo educēs. Sed priores appellationes magis propriæ sunt & ad vsum dicendi magis accommodatæ. In hoc eodē errore versari videt̄, illi qui reuulsionē ac deriuationē simul coire nō posse existimāt, quasiq́; putāt nō aliud esse deriuationē quàm euacuationē à læsa parte; Hoc verò confutatur prædicto Galeni loco II. lib. ad Glauconem, cùm patientibus membris extremis à coniunctis vacuandum monet, siue reuellere velimus, siue deriuare. Et alio etiam loco eiusdem libri, cùm patiente vtero in cubito reuellit, in pedibus deriuat. qui tamen pedes tam longè ab vtero videntur distare, quàm cubiti. Et adhuc nulla ratio assignari potest, cur reuulsio ad contrarium motus fiat, deriuatio ad latera, & non motus; Cùm verò Galenum adducit, qui reuulsionem ad longinqua, deriuationem ad proxima fieri dicit, dicimus hoc ideo dictum esse, quia reuulsio secundum longitudinem vt plurimum fit, deriuatio verò secundum latitudinem, quæ longitudine multò minor est. Quòd verò inquit deriuationem fluxorum, non verò fluē

tium

tium humorum medelam esse, fallitur; neq; ita Galenus intellexit; nam humores aliquam partem obsidere possunt, & adhuc fluere, vt Curtius & ipsi etiam supra diximus, sed ad propositum redeamus.

TVRINVS tandem in intelligendo Celso multis errat modis, primùm quidem cùm ea Celsi verba, si totius causa.i.plenitudo totius, eaq́ue partis causa.i.plenitudo partis interpretatur; nec enim Celsus de totius vel partis plenitudine loquitur; sed de communi vel particulari morbo; vnde si totius causa sanguinem mittere oportet.i.causa affectus, vt verbi gratia, febris totum corpus occuparit, tunc ex cubito sanguis aufertur. si partis causa .i. cùm particularem partem morbus inuaserit, tunc vel ex illa eadem affecta parte, vel ex quàmproxima sanguinem mittimus, vel repletum sit vniuersum corpus, vel minimè. Hanc interpretationem Celsi verba confirmant, cùm inquit; Neq; ignoro quosdam dicere quamlongissimè sanguinem inde vbi lædit esse mittendum; & reliqua; hic enim vtitur verbo lædit, non verbo replet. Quod, & ratio vniuersalis ab eo adducta confirmat; vel enim totum sit, vel non sit repletum, sectio venæ proximæ fluxum non aduocat ad locum læsum, quoniam proximus primùm sanguis educitur, & læsa pars inanitur. Si verò dicas ille qui in vlterioribus est partibus succedit, & euacuabitur in idipsum quod grauat; contra (inquit Celsus), suppressa vena nulla fieri potest euocatio sanguinis in vlterioribus partibus contenti, ad ipsam læsam partem; non enim à seipso venire potest, neq; trahitur vacui necessitate, quia cessat eiusmodi necessitas suppressa vena. Si ergo succedit, nõ erit alia reddenda ratio, nisi quòd ab alijs partibus trãsmittatur, sed si ita sit, iam non erit sectionis venæ causa, quod Celsus ostẽdere probareq́; proposuerat. Nõ ergo Celsus, neq; vllus antiquorum medicorum opinioni Turini patrocinari potest, quod quia satis credimus ostensum esse, pleniusq́; procedente oratione poterit explicari, iam hoc omisso libello, ad refellenda reliqua aggrediamur.

Vlt. Respõ. Tur.

DE VENIS E DIRECTO SECANDIS ADVERSVS TVRINI LIBELLVM, QVI EPISTOLA AD CVRTIVM INSCRIBITVR.



IN Epiſtola Turini quã ad Curtium inſcripſit, non leuiora, neq; pauciora errata continentur, quàm in libello de ſanguinis miſsione in pleuritide, quæ tametſi videantur refelli poſſe ex ijs rationibus quas adſtruximus in eo libello refellendo, poſsintq́; multa inde erigi fundamenta, quæ noſtram opinionem ab illis argumentis tutam reddant, quæ primũ Turinus excogitauerat, attamen, vt res planior, & dilucidior appareat, ſtatuimus in hunc quoq; libellum aliqua in ſtudioſorum gratiam commemorare, quæ tanto breuius pertractabimus, quanto ſuperiora huic eidem rei accomodari, & adhiberi poſſe videntur; Vtemur verò Turini verbis libri margini appoſitis, vt noſtræ rationes cum eius dictis facilius conferri poſsint.

Verba Turi. Nulli dubiũ eſſe debet &c.

PRIMVM igitur cùm de fluentibus, & fluxis humoribus verba facit, primam eius ſuppoſitionem ita moderandam opinamur, vt fluentes humores dicantur cùm iam non firmantur in determinata parte, nec inflammationem inchoarunt; nã vna & eadem pars humorum ſimul moueri, & quieſcere non põt. Rurſus humores membrum aliquod obſidere dicimus cum in ipſo infiguntur, & tumorem gignunt, licet adhuc fluant, & tumori addant incrementum. Fluxos verò humores eſſe, nihilq́; præterea fluere, ab eo quod eſt membrum obſidere longè differt. Cùm igitur Galenus inquit humores partem aliquam obſidentes educi per deriuationem, non ita intelligit, vt nullo pacto fluant, ſed vt diximus, reuulſionis, & deriuationis ratio aliundè ſumi debet, quàm ex fluentibus vel fluxis humoribus; atq; humores qui fluunt non reuelli tantùm poſ-

ſunt,

ſunt, ſed & Hippocratis, & Gal. ſententia deriuati.

QVAE verò ſequuntur id conantur adſtruere, vt reuulſio, & deriuatio non vnica quidem, ſed varijs venarum ſectionibus efficiantur. Qua in re fateor primùm reuulſionem prius, quod ad tempus attinet, requiri, quàm deriuationem; deinde, & vtranq; varijs poſſe modis adhiberi. Sed licet venæ ſectio quæ fit propè dolentem partem aliquid humoris in læſa parte contenti reuellat, & deriuet, humorem tamen prius reuellit, & deriuat, qui eſt in proximis inflammationi partibus, quàm illum qui in læſa parte continetur. Motus enim confundi non poteſt, neq; ſine tempore comite reperiri. Cùm igitur ſecatur vena prius ille exit ſanguis, qui ſectioni vicinior eſt; nec id argumentum tenet, ante vacuationem læſæ partis, fluxus humoris inhibendus eſt, ergo variæ his in muneribus venæ ſecãdæ; non enim in his modò, ſed longè etiam pluribus vnica venæ ſectione poterimus ſatisfeciſſe. Fatemur quidem alio pacto reuelli humores in dolore lateris, cùm plenitudo totius, & dolor, quæ fluxionis cauſa ſunt, & aliqua etiam portio læſi loci remouetur, aliò humorem qui in affecta impactus eſt parte extrahendum, ſicuti cum cucurbitulam affigimus, vel ſputo educimus, vel inſenſili difflatione diſcutimus; Vnde nil contra noſtram ſententiam ex tertio libro medicinalis artis afferri poteſt, cùm & ipſi cum Galeno fateamur, prius euacuãdum eſſe totum corpus, aut omninò reuellendum, quàm repellentia, ſcarificatio, diſcutientiaq́ue poſsint adhiberi.

Ducatur etiã vlterius &c. Dicãtur ẽt a nobis &c.

SED & locus ſecundi libri ad Glauconem minus rectè affertur & intelligitur à Turino; Non enim Galenus ait fluẽtes humores reuulſione, fluxos deriuatione curandos eſſe, ſed fluentium humorum retractio medela eſt, eorum verò qui aliquam partem obſiderunt, deriuatio. Non ergo loquitur de his qui abſolutè fluxerunt, ſed de his qui adhuc fluere poſſunt, & aliquam partem obſidere. Porrò ſi penitus fluxi eſſent, iam non deriuatione (niſi impropriè loquamur) ſed euacuatione à læſa parte educerentur; atque nihil prohibet, quin eos qui fluunt humores & reuulſione, deriuationeq́ue ſimul vacuemus, inſecta ſcilicet vena quæ ad oppoſitum motus, & ad

Nec ſilẽtio pertranſibo &c.

latera simul trahat.

In mediū autem &c. Cvm verò Galeni affert locum ex proprio libro de curandi rat. per sang. miss. vbi reuulsiones faciendas docet ante deriuationes, diesque aliquot inter vtrunq; officium interponendos, nihil nobis aduersatur, siquidem volumus eam reuulsionem, quæ tempore præcedit deriuationem, longè magis conferre, sed eo tamen tempore cùm sola reuulsio requiritur. In dolore autem lateris hæ non præbentur induciæ, vt munera illa adhibeantur separata; Sed statim reuellere oportet, simulque deriuare, & à læsa educere parte, vt sedetur dolor, quæ vniuersa, vel vnica vel iterata venæ edirectò sectione, compleri possunt.

Illud et memoræ &c. Qvod si Auicenna venam pedis secandam consulit, idipsum in præseruatione intelligendum esse antea diximus, neq; hinc inferri potest, vt cum faciendus, vel factus fuerit morbus hæ remotæ reuulsiones sine deriuatione, & partis vacuatione fieri posint. Accedit quòd & solam reuulsionem, quæ in præseruatione adhibenda est, Galenus non ommisit; nã proprio libro de curandi rat. per sang. miss. venam pedis secãdam docet, cùm præcauere ab hoc quo de agimus affectu voluerimus.

Nec silebo quæ Galenus &c. Idem ferè dicimus ad Galeni authoritates, & quarti libri de curand. mor. & de curan. rat. per sang. miss; nam ante diximus humores aliquod membrum obsessisse, cùm iam tumorem vel inflammationem inchoarint, ita vt pro parte fluxi sint, & pro parte etiam fluant; Addebat verò Galenus. At „ si perpetuum est quod ab Hippocrate didicimus, fluxionem „ scilicet incipientem reuellere, fixam verò iam in laborante par„ ticula euacuandam esse, vel ab ipsa particula, vel ex ei quam„ proxima. Quibus ex verbis manifestè sumi potest, quòd si humores ex parte fluxi sint; & ex parte fluentes, reuulsio simul cũ deriuatione adhiberi debet, vnde hanc multiplicẽ indicationem explentes, venam edirectò secabimus. In vlceribus autem è quibus facilius humor educitur, quàm ab inflãmatione, venam remotam initio secamus, exinde ab ipsis vlceratis partibus vacuamus; Cùm verò oritur inflammatio, tum quidem reuellendum esset, sed aliquid simul ab inflammata parte

te trahendum, si id (vt ferè accidit in initijs) conuenienter fieri potest. Demum cum inflammationes iam inueteratæ sunt, ex illarum partibus, vel certè ex quamproximis vacuādum, sicuti in dolore lateris cum affixis pectori cucurbitulis, quoniam à subcingente membrana vacuare nō possumus, humorem læsæ partis educimus; In huius igitur affectus initio contraria non est quærenda vena, nam & illam Hippocrates, & Galenus prætermiserunt, & iam ostensum à nobis est quā directa venæ sectio curandi muneri sit apta. In angina etiam cùm venæ secantur sub lingua, partis læsæ vacuationem fieri diximus, non verò humorem reuelli, vel deriuari, talemq́ue sectionem ei quæ fit affixis pectori cucurbitulis, in dolore lateris respondere.

RABI Moises etiam, non nostræ opinioni, sed Turino aduersatur, nam inquit eandem venam, & initio, & incremento, & vigori morbi conuenire, quam tamen appellat oppositam. Si igitur oppositam intelligamus non directam, aduersabitur Turino, qui in vigore saltem morbi venam edirectò secandam consulit, sin oppositam secundum rectitudinem intelligamus, iam nostræ fauet sententiæ, & hostis efficitur aduersarij. Quod verò addit, in inueterato morbo à læsa parte ducendum esse, iam sæpe à nobis approbatum est, quare non est, vt quid ad hoc Turini dictum replicemus. In Celso autem & Auenzoare intelligendis satis multa supra allata sunt; quare ad reliqua properemus. *Hæc puto suffice re. &c.*

PERPERAM infert venam edirectò in statu tantùm morbi, & in dolore ascendenti Hippocratis consilio secandā; iam enim hanc interpretationem reprobauimus, & clarè ostendimus nostram edirectò sectionem initio, incremento, & vigori quoq; inflammationis conuenire, cùm ad contrarium motus reuellat, deriuetq́;, & euacuet; Quod autem in quacunq; inflammatione Hippocratis sententia vena secanda sit, id verum omninò est, si indicatio ab humore qui sanguis est sumatur; neque opposita eligi vena potest, sed edirectò; nam & Galenum IIII. libro de curan. morbis ad contraria reuellendum docentē, non de partis, sed de motus humorum contrario intelleximus. *His vir eximie, &c.*

In

In vigore quoq; symptomatum, nihil mouemus nisi coacti, & iam ostendimus ante hunc vigorem leniri dolorem oportere, vel venæ sectione, vel pharmaco; Quare minus videtur Tur. hasce clarissimorum virorum sententias intellexisse.

Itẽ phlebotomia. &c.

ERRAT quoq; cùm deriuationem adhibendam, eo tantùm tẽpore opinatur, cùm fluxus humorum restiterit, quo tempore vigorem adesse morbi suspicatur; nam vt sæpe diximus, etiam si humores fluant, possunt ad motus latera deriuari; Deriuatur etiam is qui proximè pro parte fluxit, & adhuc fluit humor, quod ferè fit in initijs, & incremento inflammationum. His igitur temporibus vena edirectò secari poterit quæ deriuet, quam etiam sectionem in vigore quoq; qui cito aduenerit, præsertim si initio fuisset omissa, adhiberi posse supra docuimus. Restitisse igitur fluxionem ita intelligimus, cùm humor proximè fluxit, & parti adhæret, licet fluat adhuc aliqua ex parte, & hoc tempore venæ edirectò secari debent.

Item si Hippoc. &c.
Etiã ratio hoc idẽ &c.

NEQVE ob id nostra hæc sectio reuellere nõ dicetur, quia humorem sursum repentem educat, vel quia inter brachium, & pectus contrarietas non ponatur; nam si dolor ascendat venæ edirectò sectio sursum quidem humorem trahit, sed eo tamen natura inclinante. Reuellit etiam pro parte illum qui ad dolentem locum attrahitur, & demum ad motus latera, partem etiam humoris deriuat. Non etiam ratio illa admittenda est, vt deriuatiua venæ sectio morborum initijs non conueniat; cõuenit enim vt diximus, & cùm reuulsio ad contrarium præcipitur, motus humoris non situs partis sumi debet, quæ vera & præcipua contrarietas est, in quamcunq; situs differentiam humor moueatur, sicuti & Curtius proprio libro declarauit.

Suffragatur etiã &c.
Dic q̃so &c.

RHAZIS etiã de reuellẽte venæ sectione verba facit, quæ simul deriuatiua etiam dici potest, atq; in principio adhibenda est, si idem sentiat quod Hippocrates, & Galenus senserunt. In eius verò oratione ne verbum quidẽ fit de opposita parte, vt antea quoq; dictum à nobis est.

Sed ne uidear difficultatẽ. &c.

SED reddit ad concoctionis statum, in quo quidem & sectionẽ venæ, & pharmacum Hippocratem consuluisse sæpe dixit, quod reiecimus, tum ea ratione, quia statim dolore fomentis nõ

ſedato, hæc adhibentur remedia, fomenta verò ante ſtatum concoctionis apponuntur; tum illa quoq; quòd fomentis apertè vtitur Hippocrates ante concoctionem. xxxiij. particula primi libri de ratione vi. acut. morb. Sed longè poſtea fallitur, cùm exiſtimat ideo Hippocratē pharmacum dandū initio præcipere, vt humorem à ſtomacho, & hæpate ad mendoſas coſtas fluente reuellat. Cur enim ſi ita eſt pharmacum etiam non dedit in aſcendenti dolore? Non ne & ex illis iiſdem partibus poſſunt humores ad ſuperiores coſtas tranſmitti? In hac igitur fluxione reuellenda pharmacum etiam ſi dolor aſcendat poterit exhiberi, quod certè falſiſsimum eſt. Quo verò inditio humor à ſtomacho & hæpate ad coſtas mendoſas fluens dignoſci ab Hippocrate potuerit, vel ſi aliūde etiam fluat ad lateris dolorem in mendoſis coſtis gignendum, nemo certè poterit iudicare, neque quo pacto aſcendens humor reuellatur; nā ſi humor deorſum feratur, non poterit ſimul ſurſum ferri. Fatendum igitur eſt dolores aſcendentes venæ edirectò ſectione, deſcendentes pharmacis eſſe curandos; idq; quocunque in latere vel loco ſint, ne vias à natura tentatas, & quaſi nobis propoſitas videamur prætermiſiſſe. Ea verò ſit vacuatio quæ dolorem mitigans, & fluxionis cauſæ occurrens, humorem ab inflammata parte reuellat.

De fomentorum verò ſubſidio, ac de tempore quoque quo adhibenda ſunt, multa ſupra tetigimus; Id verò hoc etiam loco repetere non recuſabo, Hippocratem fomenta adhibere tentandi gratia, tentandi dico, non ſi adſit morbus, ſed ſi ea ſit plenitudo quæ horum diflatione ſanari queat, neque quolibet tempore adhibenda illa fatemur, immò ſi nō proficiant, venæ ſtatim ſectionē, vel pharmaci exhibitionem, proponimus. *Quod uero de fomento.* Verba verò Hippocratis noſtræ fauent opinioni, ſi rectè quidem intelligantur, ita enim exponi debent; „ Lateris dolor ſiue „ à principio ſtatim ſit ortus .i. nullo morbo præcedente, ſiue „ poſtea .i. ſi febrem vel alium affectum ſit inſecutus, fomentis „ prius ſedandus eſt .i. initio. Malè etiam adſcribitur Curtio, quòd dixerit cùm vniuerſus humor fluxit, non poſſe id certis inditiis dignoſci; non enim ita inquit, ſed illo potius pacto,

H quòd

quòd si vnà cum dolore, totius adsit plenitudo, non potest medicus certò dignoscere, quòd nihil ad læsam partem ratione doloris trahatur, præsertim cùm nihil sit aptius ad fluxiones irritandas, quàm dolor. Si igitur cùm dolor est intentissimus, vena edirectò secanda erit; cùm rationi consonum sit aliquid etiam fluere, vel illa sectio approbari debet, vel Turinus vituperari, qui in dolore intentissimo fluentis illo tempore humoris oblitus, directæ venæ sectionem concessit, cùm tamē ex suis placitis, vt sæpe diximus, opposita potius quàm directa vena secanda esset.

Miror ...tir exi... nie &c. Sed non... ne Gal. &c.

ADVERSATVR verò Hippocrati, & Galeno, cùm aliquam venæ sectionem præcessisse putat id pharmacum, quod dolore descendenti exhibetur; nam cùm Hippocrates ascendente dolore venam secandam velit, ac deinde si morbus sit magnus pharmacum moderatè exhiberi, iam vtroq; casu sanguis prius mitteretur, deinde pharmacum exhiberetur, ac ita frustra ea adhiberetur distinctio ascendentis vel descendentis doloris, siquidem mittendum prius sanguinem Turinus vtrisq; casibus opinatur. Sed Galeni cōmentum nobis aduersari videtur, in quo Galenus ab Hippocratis opinione dissentire non à Turino modò, sed à magni etiam nominis medicis affirmatur, res tamen aliter habet, & Hippocratis, & Gal. sententiæ propè libelli finem conciliatæ sunt à Curtio; certi enim ponũtur casus à Gal. in quibus venæ sectio pharmaco exhibendo p̄ponitur, vt cùm febris est ardētissima, vel cũ exactè ægrotantis corporis naturam nō agnoscamus; quibus non obstantibus pharmacum omninò Galenus exhiberet; In morbis verò acutis, in quibus raro pharmacis vtimur, idq; multa cum præmeditatione, placuit Galeno dictum Hippocratis moderari, & illam habere præmeditationem ab Hippocrate propositam, cùm febres intensissimæ sunt, vel ægri natura ignota, quibus certè casibus non omninò sine periculo pharmaca exhiberi possunt.

...ùm aũt Hippoc. &c.

IN ea quoq; Gal. authoritate intelligenda quam supra ex proprio Gal. libro de sang. mittēdi rat. attulimus & exposuimus, Turinus admodum fallitur. Directam enim venæ sectionem in lateris dolore affectis magnum attulisse subsidium; opposi-

tum

tum verò vel nullum vel multo temporis interuallo, ita intelligit, vt Galenus non de præseruatione, neque cùm partim fluxere partim fluunt humores, sed cùm penitus fluxi sunt exponatur; qui sensus antea à nobis reiectus est, ea præsertim ratione, quòd Galenus eius libri initio profitetur se quas, et quibus temporibus venas secemus edocturum; quòd cùm fecerit reliquis in morbis qui in eodem libro commemorantur, fatuum esset solum de quo agimus dolorem lateris à reliquis affectibus separasse.

OPINATVR rursus ex Curtij sententia venæ sectionem ab Hippocrate prorsus omitti cùm dolor descendit, cùm tamen iam dixerimus certis illam casibus à Galeno adhiberi, qui non discedere ab Hippocrate, sed eius sequi sententiam videtur. Quapropter si in dextra parte sit dolor, & descendat, idem fieri debet iuditium, ac si æger inflammatione iecinoris correptus esset, & vtroq; casu interna esset vena, & in dextro cubito secunda. Hoc verò loco etiam si verbosus est, minus tamen assequitur Curtij sententiam. *Destructo autē fundamēto &c.*

PRIMVM verò missa facio, quæ ex Nicolao Florentino adducuntur, quæ à nobis planè curanda non sunt; in intelligendo autem Galeno maximè hallucinatur, nam cùm Galenus
„ inquit, Vbi iecur, pulmo, pectus, & cor inflammationem
„ pati cœperint, vena interna secanda est, inquit Turinus, indeterminatè Galenum loqui, neque dextræ vel sinistræ partis mentionem facere, quapropter nunc in dextra, nunc in sinistra parte venæ secandæ erunt pro morbi tempore, & conditione. Sed quàm oscitanter Galenum legerit ea indicant verba, quæ paulò post superiori dicto subnectuntur, nam Gale-
„ nus inquit. Perpetuò autem in omnibus quæ edirectò sunt, eæ scilicet secentur venæ. Neque subterfugit Turinus, cùm de morbi initio putat locum intelligi non posse, in superioribus enim Galeni verbis manifestissimè initij habetur mentio, quare ruunt quæ pro loci interpretatione adducuntur à Turino.

RVVNT quoque cætera quæ imaginatus est, vt secundam Curtij rationem euitaret. Si namque initio humorem, qui in vicinis inflammationi locis est, per directam venæ se- *Multa in ratione tua &c.*

ctionem eduxerimus, longè maiorem putat excitari fluxionem ad partem læsam posse, & iccircò oppositam venam magis quàm directam secandam esse; sed fallitur; nam modica dici non debet ea humorum pars quæ ad loca inflammmationi vicina defluxit, sed potius maxima est, & aliquando eò deductus est humor vniuersus qui peccat; quo casu Turino etiam assentiente venam edirectò secabimus; siquidem idem prorsus est iuditium defluxi ad vicinas partes humoris, & eius qui in affecta parte continetur. Falsum quoque est ex nostra sectione multo plus humoris attrahi, quàm vacuari; non enim partem tantùm euacuamus quæ leditur, sed fluxionem etiam ab ea reuellimus, non ad eam inclinamus, vt isti inquiunt. Quod si hæc humoris attractio timenda esset, cur eadem ratione non redargueretur Turinus, qui in statu venam secat edirectò & fluxionem trahit ad læsam partem? Et præterea nostram sectionem vacui vi trahere fatentur, quod si esset, iam nihil optabilius posset nobis euenire, quàm si eò vnde vacuamus humorum impetus aduocaretur. præter, id quòd ea etiam vacui vis, suppressa vena nostro arbitrio prohiberi potest.

Hæc sua ratio &c. SED inquit Turinus, Nõ est initio morbi intentio semper reuellendi simul & deriuandi, alioquin Hippocrates pharmacum exhiberi non præcepisset. Item reuulsio dici non debet venæ sectio ab affecta parte, sed vacuatio; neque vnica sectio reuellendi simul munus & euacuandi subire potest. Cui quidem aduersatur Galenus decimo Commento secundi libri de rat. vi. acut. morb. qui reuulsioni & euacuationi vnica venæ sectione satisfecit, quod si verum est in ascendenti dolore, erit quoque in descendenti, nam pharmacum quod exhibetur, à maioribus primùm venis trahit, in quas minorum & minimarũ humor succedit, vt in missione sanguinis dicebamus. Quare si secetur vena & descendat dolor, reuellet, & euacuabit, sicuti fit in eò qui ascendit.

Hãc tuã rationẽ &c. AIT præterea directam venæ sectionem reuellere quidem magis, quàm oppositam, sed tamen hoc habere noxij, vt magis etiam trahat ad læsam partem. Qua in re nostræ primùm fauet opinioni, & nocumenta quæ commemorat ex ijs quæ di-

ximus

ximus euitantur præsertim si reuulsio ad cõtrarium motus fieri intelligatur, & vacui necessitatem ad extra trahendam fluxionem opitulari, & nostro etiam arbitrio suppressa vena tolli posse meminerimus.

SVMMATIM deinde indicare conatur Turinus non solùm humorum fluxionem initio ad loca vnde cœpit, trahendam esse; sed, & ad contrariam prorsus partem. vnde si à dextra capitis parte humores ad dextram pectoris transmitterentur, per sinistræ venæ sectionem, quam cæphalicam dicunt, educendos esse credit. Sed dicimus eam partium contrarietatem nihil efficere, & præterea cæphalicæ sectionem vtiq; conferre posse, si reuellere tantùm instituissemus. Cùm verò propositum est reuellere simul, & à læsa parte vacuare; interna vena, & directa cæphilicæ loco suscipienda est, quæ non in parte quidem contraria, sed ad contrarium motus reuellit. Sed non est prætermittendum insigne quoddam erratum Turini, inquit enim. Si humores à dextra capitis parte, ad dextram pectoris ferant, secãdã esse cæphalicam sinistri brachij. Hæc verò inquam, humoris tractio ad latera motus est, ergo deriuatio. Turinus igitur morbi initio deriuatione vtitur, quam tamen millies visus est antea detestari.

Pulcherrimè inquam. &c.

CV'M verò negat similem fieri tractionem cæphalica sinistra, & interna dextra secta, illa quidem in sinistro dolore capitis, hac in dolore lateris dextro, neq; rationẽ intelligere videtur, neq; quæsito satisfacit; Nam cæphalicæ sinistræ sectio humorem vacuat sinistræ partis, quo fit, vt dextræ partis humor ad sinistrũ versus moueri habilior reddatur, iuueturq́; ab ea venæ sectione, sicuti, & fieri putat Turinus in dolore lateris dextro, cùm dextra secta vena, sinistræ partis humor ad partem dextram incitatur. Id ergo incoueniens quod hanc humorũ habilitatem sequitur, remanet Turino diluendum.

Huic respondemus. &c.

Gale. in cõmento &c.

IN eodem versatur errore in his quæ sequuntur, nam ex directa venæ sectione humores ad inflammatam partem inclinari putat, & præterea Hippocratẽ in statu loqui; cùm venæ sectionẽ edirectò præcepit; qui error sæpe à nobis confutatus est. Sed non est reticendum quòd hic vir fatetur in sua retractatione, reuulsionem

Cũ vero vlterius Respõdemus dicẽtes. &c.

reuulsionem scilicet, & deriuationem secta edirectò vena, Hippocratis, & Galeni sententia fieri posse; cuius contrariũ hoc inquit loco. Et si verò Curtij rationem non intelligere dissimulet, nullus tamen adeo fatuus reperietur, qui humoris motum ad inflammatam partem iuuandum esse dicat. Ipsiq; longè absumus ab hoc errore, qui aliò trahendos humores, & in prioris motus contrarium opinamur. Sed interim naturæ motui, & inclinationi parendum est, quæ si sursum repat, sectionem venæ, si deorsum, pharmaci exhibitionem præscribit; quibus certè remedijs, humoris motus inflammationẽ facturi, vel aucturi solet impediri. Neq; sola reuellendi initio adest indicatio, sed vt ante diximus, vnà euacuanda sunt vicina loca, vt humoris motus ab his ad inflammationem auferatur. Ita nãq; agendum suadet dolor, qui leniri prorsus debet, ne nouas irritet fluxiones. Eam verò attractionem, quam Turinus in nostra sectione fieri suspicatus est, figmentum esse supra dicebamus, cùm neq; ex facultate attractrice venarum, neq; intenso calore fieri illam posse monstrauimus, atq; si vi vacui fieret, iam vel attractus humor extra corpus duceretur, vel in vacuati locum succederet; quo fit vt aliò potius duci videatur, quàm ad inflammatam partem. Sed, & vena supprimi potest, ne quid humoris trahat ratione sectionis. Quòd autem magni admodum dolores morbi initijs adesse possint, & magna ex parte adsint in dolore lateris affectis, antea quidẽ indicauimus, & experientia comprobatur.

Non videtur mi Curti &c.

SED his ommissis, videamus quæ afferuntur à Turino cõtra Curtij responsiones, quas quidem ad eas rationes quas contra se ipsum fecerat, adducit. Primùm verò cùm Curtium condẽnat quasi reuulsionem quæ fit inter dexteram, & sinistram partem prætererierit, cùm etiam venæ sinistræ sectionem in iecinoris inflammationibus opitulari posse credit, errat maximè. Nam reuulsionis ratio non à partium situ, vt diximus, sed ab humorum motu desumitur; vnde si contingat motum esse à dextris ad sinistra, poterit, & hic conuenire reuulsio; sed tamen accidit, vt non cunctos reuellendi modos posimus adhibere; Iccircò in dolore lateris affectis, venam secamus edirectò

quæ

quæ reuellit humorem inflammationem facturum, educitq; aliqua ex parte facientem; ex quo motu humor qui intus est extra trahitur, & hinc inde vt à dextris simul, & à sinistris; atq; fortassis continetur in hac reuulsione motus quidam inter superiorem, & infernam partem. Vt vt igitur plures sint; reuellendi modi, non sequitur omnes protinus adhibendos esse. Sed eos dumtaxat, qui ad præseruationem, & curationem magis apti esse videbuntur, neque negauit Curtius quin venæ sinistræ sectio inflammato iecinore secari possit, sed hanc omittendam esse reuulsionem opinatus est, quia non omnes reuulsionum modi adhibendi sunt, sed vtiliores, & ad sanandum aptiores, qualis ille est, qui fit per sectam edirectò venam, quiquè à Galeno tanquam vtilior præcipitur.

AT verò cùm ait in dolore capitis oppositam ideo non secari venam, quia modica inter affectum locum, & secandam venam distantia est; In lateris autem dolore, cùm patens spatium reperiatur, iccircò & ab oppositæ partis vena subsidium petendum, non videtur semetipsum intellexisse; nam satis est si Curtius ostendat non semper oppositam venam reuulsionis gratia secari; falsumq́ue esse ac fatuum, si quis reuulsiones vniuersas inter dextrum & sinistrum terminum contineri asseueret; Cùm verò existimat nil prohibere quin in dolore lateris opposita vena secetur, longè abest à veritate, nam magni vrgent dolores; & in acutis præterea morbis non solum reuellere oportet, sed à læsa parte vacuare, quæ & statim, & secta edirectò vena fieri debent, vt Galenus testis est proprio libro de curand. rat. per sang. miss. cum inquit; Reuulsiones quidem simul cum euacuatione fieri oportet incipientibus fluxionibus magis. Ille verò aphorismus; Posteriora capitis dolentia &c. adeo apertè de reuulsione loquitur, vt à nemine nisi dementissimo negari possit. *Quòd verò vlterius. &c.*

CARPITVR deinde Curtius à Turino, quasi negauerit triplicem reuulsionem fieri secundum trinas corporum dimensiones, qui reuellendi modi in omni præter naturam tumore videntur conuenire; & non eo tantùm casu cùm reuellere tantùm intendimus, vt Curtius existimauit. Hic verò fallitur, nam *Cognouisti profecto &c. Sed mi Curti homo &c.*

nam tres illos reuellendi modos agnouit Curtius, & hac ratione directam venæ sectionem cæteris prætulit, quòd plures ex illis modis contineat. Sed dixit, non semper tres modos in facienda reuulsione requiri, alioquin reuelleremus tantùm, partis euacuatione post habita. Cùm igitur & reuellere, & à læsa parte vacuare simul intendamus, consultè à nobis actū erit, si vena ex affecta parte secabitur.

Non videris amplius. &c. QVÒD verò existimet Curtium non adhibuisse cōtrarietatem in reuulsionis ratione, adeo falsum est, vt refelli non debeat; nam millies in Curtij libello contrarij habetur mentio, quod certè non situs partium, sed motus humorum contrarium intelligendum est. Incipiente enim dolore lateris, plenoq́ue corpore, humor ex directa venæ sectione à paruis venis ad magnas ab his ad maiores reuellitur, & affecta pars euacuatur.

Hæc respōsio ea est &c. PRAE termittere multa oportet, quæ ante declarata sunt, sed cū quærit qua de causa inflammatione crus occupante sanguinem ex altero Galenus mittat, nec læsam partem vacuet, vt aliâs faciendum consuluit? Hic dicimus, non à læsa ipsa parte, sed à proxima sanguinem morbi initio mittendum esse; Cùm igitur in dextro crure oborta sit inflammatio, non certè ex eo ipso mitti sanguinem oportet, sed ex altero, quod affinitatem habet cum vena sanguinem ad læsum locum mittente. In lateris autem dolore non à pectore ipso quod afficitur, & magnis quæ secentur caret venis, sed in cubito, & directo venam secamus, cùm præsertim Hippocrates in doloribus amouendis proximos purgandos ventres, & proximas venas secandas consuluerit.

Sed cur tam rectè &c. CVM verò rursus ea pro se adducit Gal. verba; Fluentium humorum reuulsio, fluxorū deriuatio medela est; & varia præterea esse opinatur tempora, variasq; venarum sectiones, quæ reuulsioni & deriuationi deseruiant. Hic primùm redarguendus est quòd non rectè Gal. sententiam adduxerit, qui non inquit fluxos humores deriuandos esse, sed eos tantùm, qui aliquam partem obsiderunt, qui quidem, vt diximus, fluere adhuc possunt, etiam si portio quædam in patiente iam particula firmata sit. Hoc igitur casu reuulsio & deriuatio simul conueniunt

uenjunt, quæ munera secta edirectò vena absoluuntur. Neque is omninò ordo seruari debet vt reuellamus primùm, deinde deriuemus; Si namque fluens humor reuellendus est, fluxus euacuandus cùm partim fluat, partim fluxerit, condemnandus esset qui has intentiones vna venæ sectione nõ exequeretur. Quòd si contendas vnicum non esse tempus harum actionum, modò vnica sit venæ sectio, dabo lubens, vt fluẽs primùm humor reuellatur; deinde fluxa portio in vacuati locum succedat, quousque ducatur extra corpus. Ita vnica sectio modico tẽpore interiecto reuulsioni simul & euacuationi poterit accommodari.

SED inquit Turinus, locus vnde motus humorum cœpit ignoratur, quî igitur fieri poterit vt reuellatur, & ad motus contrarium ducatur ortu motus ignorato, & parte etiam corporis ad quam fluxio dirigenda est? Dicimus duplices esse fluendi modos in morbis, alterum à remotioribus partibus, alterum à proximioribus, quæ loco inflammationis circunstant. Posteriorem fluendi modum exactè dignoscimus, cùm in ratione ipsa oriendæ inflammationis contineatur, prior non semper dignoscitur, neque ob id multum incommodi sequitur, quòd remotum fluxionum ortum ignoremus; nam, vt ante diximus, non ad hoc remotum initium fluxiones trahendæ sunt, sed satis est, si proxima fluxio quam nouimus reuellatur. Vena igitur edirectò secta retrofluere humorem facimus, qui vicina replet inflammationi loca. Neque existimauit vnquam Curtius, neq; Galenus docuit, eam quæ ex remotis partibus oritur fluxionem, sciri à medicis oportere. Immò, & oppositum Curtius dixit, & putauit remotas partes quæ mittunt, si non semper, magna tamen ex parte ignorari. Itaque in lateris dolore dextro dextram venam secamus, qua vicinarum affectui venarum humor educitur, & is qui ad inflammationem fertur retrocedit, non verò maior fluxio potest excitari; Sed vsu & ratione comprobatum est ægrotantes nostra hac sectione subleuatos, & planè sanatos fuisse, cuius contrarium probare Turinus nequit; incassum igitur quærit, cur in parte potius sana, quàm in læsa venam secamus. neq;

Dic quæso vir clarissime &c.

Gal profecto. &c.

conduceret admodum si fluxionis origo intelligeretur, cùm præsertim ille humor educi debeat, qui vicinas partes repleuit, quiq; affligit, & incrementum morbo præstat.

Hæc tua respõsio &c.

IAM Hectore & Achille confosis, ad Herculem interimendum accedamus, qui primùm fallitur cùm putat Curtium locum vnde fluunt humores optasse dignoscere, quod & falsum esse iam ostendimus; ac deinde nostra magis intentio est à læsa parte vacuare, quàm reuellere, licet vtrunq; simul fieri posse docuerimus. Sed reddit hercules ad Saphenã, à qua meherclè ne tantillum quidem subsidij consequi potest. Nec enim Galeno aut Auicennæ repugnat, quòd pedis vena in lateris dolore non secetur; Hæc enim sectio, ad solam pertinet morbi præseruationem, vt diximus, & præterea ad longissima trahere dici potest, quoniam ab affecta parte nec educere aliquid, nec reuellere planè valet.

Est et tertiò hæc ratio etc.

CVM verò iterum ait, reuulsionem fieri posse inter dextri & sinistri terminos, & hoc idem Galeni sententia comprobari. Respondemus, Venam directam ideo secandam, quia magis quàm opposita reuellit, & à læsa parte euacuat, neque oppositam sectionem Galenus admittit nisi certis casibus, qui antea à nobis enumerati sunt; In affectibus enim capitis, vterique & cæteris ferè omnibus venas edirectò secandas consuluit, & in vniuersum Galenus & Hippocrates venarum sectiones quæ edirectò sunt, magni fecere. Saphenæ verò sectionẽ nunquam approbauit Galenus, quoniã nil planè educit quod curationi satisfaciat. Sed hic Curtij liber ad memoriam reuocandus esset, eo loco vbi de reuulsione ad longissima pertractat, inde.n.& hi, & plures etiam errores repelli possent.

Quando plures respõsiones &c.

MVLTA postea in medium adducit, & proprio de capite respondet, in quibus longè melius fuisset responsiones Curtij attulisse, quàm nouas alieno nomine fingere. Declarauimus.n. quo pacto reuulsio ad longissima intelligi & fieri debeat; Diximus etiam oppositam venæ sectionem ideo præteriri à nobis, quòd non ita reuellat, nec à læsa parte vacuet, vt directa. Venæ verò humeralis sectio, quæ fit capite patiente directa dici debet; nam si affectus in dextra parte sit, dextra secatur, sin

in sinistra

in sinistra, sinistra. Quare Turinus fallitur & his in rebus, & in alio maximè, cùm nullã esse oppositionem inter dextram venam & dolorem lateris dextrum opinatur; dictum enim à nobis est, quòd multæ sunt oppositiones in hac venæ sectione, nam ducuntur humores ab intus extra, ab infernis ad superna, & ab altero etiam ad alterum latus.

QVA verò ratione altero crurum patiente ex altero sanguis mittatur, iam ea ratione à nobis fieri dictum est, quòd inflammationum initio non in læsa ipsa parte, sed in proxima vena secanda est; Alterius igitur cruris vena eligitur tanquam ad reuellendum & deriuandum accommodata, & in lateris dolore non in pectore, sed in proximo & directo loco ad eadem faciunda venam secamus.

Quæro etiã à te &c.

PVTAT autem Turinus sicuti in affectibus iecinoris, fluxus narium obortus curationem facit, non obstante ea quæ est superioris & inferioris oppositione, ita quoq; in dolore lateris & alijs etiam affectibus dextri, & sinistri oppositionem obesse non posse. Sed fallitur, nam motus quidem quos natura facit in morborum iudicijs insequi medicos oportet, at hi motus et si superioris & inferioris oppositionem contineant, non fiunt tamen inter dextrum & sinistrum. Neque etiam fida esse possunt naturæ iudicia, nisi fiant edirectò, vt si iecur patiatur, fluxus sanguinis è nare dextra omninò fieri debet, vt sequatur sanatio. Nos igitur rectitudinem seruantes, naturæ æmuli sumus, & adstipulatur etiam nobis Turinus qui superiore libro quem retractationẽ appellauimus, reuulsiones & deriuationes quæ secũdum rectitudinem fiunt alijs esse potiores Hippocratis, & Galeni sententia fatetur. Quæ verò sub lingua sectiones fiunt, iam non reuellentes, vt diximus, sed à læsa parte vacuantes appellandæ sunt. Quare plurimum differunt sectio primùm cubiti, deinde sub lingua, & sectio vnius cubiti, deinde alterius; prior enim sectio à Galeno laudatur, posterior omittenda est, & à priori dissidet; cubitorum enim venæ magnæ sunt, & linguæ paruæ, ab hisq́ue non multa sanguinis copia educi potest, sed de his similitudinibus antea quoque pertractauimus.

Cur etiã mi curti. &c.

I Quàm

Quod uerò alterius &c.

QVAM verò hallucinetur cùm reuulsionem ad longissima incipiente morbo adhibendam putat, manifestè ostensum est à Curtio, neque idem prorsus significant reuulsio ad longissima, & venæ sectio, in quammaximè distante parte, itaque & Hippocratis dictum quod vena longissimè distans secanda sit, in præseruatione, vt diximus, non verò morbo incipiente, intelligitur.

Cũ verò adducis, &c.

QVOD autem Galenus id Hippocratis dictum in libro de natura humana, quo ad longissima venam secari præcipit, in sanis & in præseruatione intellexerit, id vel cœcis quidem apparet; nam verba ita habent. Mihi quidem videtur de sanis dictum esse. Non ergo in ægris, & iam patientibus Hippocrates loquitur; & Galenus etiam cùm eius placiti authorem scriptorem nominat, satis videtur dubitasse ne alicui præter Hippocratem authori non sint ascribenda. In sanis igitur qui aliqua in parte pati consueuere, per directam venam, & longinquam præseruamus; Curamus verò per proximiorem cùm iam affectus incœperit. Sicuti si quis in capite pati sit assuetus, is nondum incipiente affectu, directa in cruribus vena secta præseruabitur, in cubito autem & edirectò sectione adhibita curabitur. At in podagricis cùm nec remotiores nec proximiores venæ magnæ sint quæ secari possint, præterquam in cubitis, illas & præseruandi, & curandi etiam gratia secabimus. Nil ergo è græcorum libris afferri potest ad placita Turini confirmanda.

Nũc verò iã tempus &c.

IDEM planè de Arabibus dicendum, & præsertim de Rhaze, qui cùm venam edirectò secat, deriuare tantùm & humore fluxo, & in statu morbi dici non debet, sicuti nec Hippocrates nec Galenus intelliguntur. Nostra enim sectio non tantũ deriuat, sed reuellit, & fluentibus humoribus, & omni morbi tempore, vt millies ostendimus, adhiberi potest.

Quod verò asseris &c.

INQVIT verò Turinus. Si Galenus monet ad contraria semper reuellendum esse, quæ virtutis imbecillitas, aut defatigatio oppositam venæ sectionem insequi potest? Hic dicimus, cùm in omni missione sanguinis aliqua semper virium defatigatio ablato sanguine & spiritibus sequatur, quæ tamen eligi-

tur

tur vt iuuamentum maius auferendi morbi consequamur, illæ sanguinis missiones iurè sunt approbandæ, quæ multò plus iuuant quàm obsint; contrà vituperandæ, quæ suaptæ naturà nullum ægrotantibus leuamen afferunt; Cùm igitur dolor vrget, & humores ad se trahit, tum subleuandus est æger missione sanguinis accommodata, non verò illa quæ subsidium non afferat, & vires debilitet. Adhibebitur igitur directa sectio, quod idem fieret in crurum affectibus, si proximæ magnæ & directæ venæ reperirentur.

TANDEM missa facio quæ in Rhazi interprætando de particula, Sed, comminiscitur; qui certè Rhazis.ix.libro ad Almãsorem venam edirectò in dolore lateris secandam consulit, nisi corpus multò sanguine fuerit repletum. Turinus verò nec in Rhazis sententia declaranda, nec vlla in re quæ ad venarum secandarum negotium attineat, authorum mentem intelligere videtur; quod cùm multis locis in eius opinione refellenda monstrauerimus, iam tempus est, vt nostra oratio ad reliquos scriptores, qui in eodem versantur errore conuertatur.

Quod verò Rhazis &c.

IOANNIS BAPTISTAE SVSII, DE VENIS EDIRECTO' SECANDIS, LIBER SECVNDVS.

ADVERSVS BENEDICTVM VICTORIVM.


ENEDICTVS Victorius qui Curtium multis modis aberrare, & à Galeni ſententia in ſecandarum venarum negotio diſsidere exiſtimauit, nouo quodam inuento ſuam aſſerere opinionem conatus eſt, in quo certè reſellendo, pigeret me multa reuocare ad memoriam, quæ in opinione Turini confutanda attulimus, niſi iam propoſuiſſem vniuerſos errores ſigillatim diſcutere, & eo planè ordine reſellere, quo à ſuis authoribus commemorantur. Quod verò temporis diſpendium ex meo hoc inſtituto ſequi videbitur, id opinor me compenſaturum tum operis mei vſu, tum etiam quadam in ſingulo quoq; capite breuitate, ita fiet, vt nec vlla reſellenda res, nec appoſitè dicendi ratio earum dico quæ à me præſtari poſſunt, deſideretur. Sed iam Victorium audiamus.

Is igitur in primo ſermone nouum quoddam tempus imaginatur, præter ea quæ Hippocrates, & Galenus cunctis inflammationibus attribuere, quod quidem inquit initium viæ pleuritidis appellari, eſſeq;, cùm humor lateris dolorem facturus ad membranam fluit, quæ ſubtenditur coſtis, nec tamen illam ingreditur, nec inchoat inflammationem, quo quidem tempore, dolorem inquit adeſſe punctorium, pulſum tenſum, durum, ac paruum, inæqualem, tuſsim, & anhelitus difficultatem; nondum verò putat accenſam eſſe febrem. Quæ omnia, ex Galeno colligi aſſerit XV. cap. primi lib. de conſti. arti. med. cùm inquit. » Neq; cùm membrana coſtas ſubcin-

gens

„ gens affecta fuerit, mox affectus vel ſcyrrhos vel œdema contingit. Huius etiam initij mentionem haberi inquit XXI. par. pri. libri de rat.ui. acut. morb. & in libro quoq; de vniuerſalibus morbi temporibus; Quibus in locis initium inflammationis appellatur tempus fluxionis humorum ad particulam inflammandam. In huius autem principij ratione, integer nonnunquam dies, nonnunquam duo vel tres etiam continentur, cuius rei Galenum teſtem citat XII. commento primi libri aphoris. & libello eodem de vniuerſalibus morb. temp. Hæc in ſumma ſunt quæ Victorius imaginatus eſt, vt vel minimum ſpatium oppoſitæ venarum ſectioni relinqueretur; Sed quàm vanè, quam q; falsò rationes eiuſmodi ex Galeno deduxerit, facilè, niſi fallor, oſtendemus. Primùm verò non negamus, quin reperiatur aliquod tempus inquo fluat quidem humor, qui inflammationem facturus eſt, ſed tamen membranam coſtis ſubtenſam non ingrediatur, neq; dolorem lateris, aut vllã in totum læſionem efficiat, atq; iſtud etiam initium viæ pleuritidis appellari poſſe fatemur, quo tempore vena pedis Auicennæ conſilio ſecanda eſt, cùm eiusmodi fluxus ante inchoatam pleuritidem incœperit. Quòd verò adſint hoc tempore dolor ſine febre punctorius, tuſsis, pulſus durus, & anhelitus difficultas, id planè ſalſum eſt, & nulla ratione comprobatũ. Sed nec Gal. teſtimonio figmentum hoc approbari poteſt, neq; fieri poteſt vt ſanguine eo pacto fluente, dolor punctorius absq; febre excitetur; nam dolor ipſe, & febris, reliquaq; ſymptomata non facientis inflammationis, ſed vel factæ, vel verè inchoãtis, conſequentia ſunt. Cùm nãq; natura ſymptomatum eiuſmodi ſit, vt veluti vmbra corpus, ita ipſa morbum ſequantur, quî fieri poterit, vt adeſſe poſsint nondum morbo facto, vel inchoato? At qui nulla hic ratio dolorem adeſſe ſuadet, cùm neq; calor adeſt intenſus ſanguine nondum corrupto, atq; ſi etiam intenſiſsimus calor adeſſet dolorem efficere non poſſet, niſi iam inflammatio cœpiſſet; nam, & in ardenti febre, quæ, vt nomen indicat, ſummo calore prædita eſt, nullus pungentis doloris ſenſus percipitur. Si ergo dolor adeſt, neq; ab vlla prorſus qualitate factus eſſe dici poteſt,

neceſſarium

necessarium est, vt à soluta vnitate oriatur. Quî verò fieri potest, vt id vnitatem soluat, quod nondum ad ipsam quæ solui debet partem puenerit? Omnis enim qui in hoc morbo fit dolor, ob eleuatam aut extensam membranam progignitur, membrana verò à sanguine eleuari aut extendi nequit, qui illam planè non sit ingressus. Accedit quòd dolor inflammationis symptoma est, præesse igitur debet inflammatio ante dolorem. Quid enim inflammatio est nisi tumor, tensio, ac dolor, à sanguine orta qui in affecta parte continetur? Præfuit igitur sanguis in affecto loco, si pungi membrana, & eleuari debuit, si pulsus etiam durities; si dolor, si difficultas anhelitus affuisse oportet. Neq; inflammatio præfuisse potuit ante febrem, cùm, & febris simul cum ipsa inflammatione Gal. sententia oriatur. Quid verò si fateremur sanguinem propè membranam tendere illam posse, & dolorem excitare, cùm ipsam non adhuc esset ingressus? Iam ne hic humor qui vicina membranæ loca repleuisset, melius educi posset, quàm venæ edirecto sectione? Quòd si dixeris remotiorē venam in præseruatione morbi secandam esse, id lubens assentior, si de morbo loquaris, quem quis pati sit assuetus; quo tempore neq; humor moueri cœpit neq; ad vicinas passuro loco partes deduci; Sin verò iam adsint dolor, & grauitas, proxima omninò vena secari debet; Sed Gal. authoritates ad examen reuocentur, vt planè intelligamus ne tantillum quidem subsidij inde posse cōtingere, ad Victorij sententiam confirmādam. Vult Galenus XV. cap. lib. de art. med. constitutione, si dolor lateris adsit febrem necessariò comitem esse, cùm in vniuersum inflammationes quæ in loco cordi propinquo sedem habent, febres etiam efficiant. lateris ergo dolor febrem adiunctam habet, quoniam, & inflammatio est, & in loco vicino cordi. Sin verò vel inflammatio à corde remota esset, vel propè cor, alius ab inflammatione affectus febris non accenderetur; vtraq; enim affecta, dico propè cor sedes, & inflammatio, ad febrem necessariò gignendam requiruntur. Si namq; in tunica costas tegente scyrrhus contingeret, vel œdema, vel alius planè ab inflāmatione affectus,

neq;

neq; lateris adesset dolor, neq; febris. Atq; hic planè Galeni sensus est, vt è græco codice constat, & noua etiã trallatione. Victorius enim falsa litera deceptus in hoc intelligendo loco hallucinatur; id enim verbum, neq;, in barbaro, & falso codice legebatur; cuius loco vel dictio, si, vel, vbi, vel, quando, debet apponi, & Gal. oratio ad prædictum sensum accõmodari. Falsum igitur est, quod Victorius affirmat, mẽbranam subtensam costis affectam esse posse ab humore quidem inflãmationẽ nõdũ faciente, sed ad eã efficiẽdã accõmodato, neq; pleuritidis affectũ, neq; febrẽ comitari; nã ob sanguinẽ, vt diximus, membranæ dolor excitari non potest, nisi affectus ipse adsit, & febris. Iam verò ne verbum quidem apud Hippocratem reperietur primo libro de rat. vi. acut. morb. quod opinioni Victorij adstipuletur; nõ n. loquitur Hippocrates de ficto viæ, sed de vero morbi initio, in quo quidem postea quam decentem victus rationem instituerimus, venam secari ex affecta parte consuluit, vt & Victorius affirmat; Falsò tamen existimat hoc morbi initio vniuersum humorẽ defluxisse, qua de re supra meminimus, & Gal. testimonio ostendimus veris inflammationum initijs partim quidem fluxisse humores, partim etiam fluere posse, quo tempore venam diximus patienti particulæ directam secandam esse; Hallucinatur præterea Victorius, cum fictum hoc à se viæ initium putat proprio Gal. lib. reperiri de morbi temporibus. Nam, vt eo loco vera, & naturæ morborum propria tempora commemorantur, ita, & verum initium, quod non in via, sed in substantia, & natura morbi continetur declarari par est, ne vel diminuta vel in certa Gal. videatur oratio. Sed Gal. sententia adducatur; Inquit verò tunc initium esse morbi, cùm humor fluens partẽ sanguine replet, atq; eleuat in tumorem; ergo in læsa parte hoc tempore adest humor. Neq; ratio aut experientia comprobare potest, vt predicta à Victorio symptomata absq; febre hoc tempore adesse possint, etiam si id viæ initium concedamus. Humor enim inflammationẽ facturus ita febrem, sicuti dolorẽ, & reliqua quæ diximus afferre debet; Nisi fortè dolorem velimus adesse, qui ex flatu nulla præsente febre solet excitari,

ſed tamen ſi talem adeſſe dolorem illo viæ initio ſtatuerimus, non aderit pleuritis, nec eiuſmodi affectus venæ ſectione curabitur; Quare hæc imaginatio à noſtra tractatione aliena eſt; Sicuti, & altera quoq; cùm ſanguinem fluxiſſe Victorius imaginatur, qui non ſtatim ſed diebus interpoſitis accendatur, & febrem pariat; vt enim non ſtatim accendi poteſt humor qui fluxit, ita modicum omninò erit id tempus, taleq́;, vt à medico compræhendi ferè nequeat; nam qui in læſa parte cõtinetur ſanguis, incaleſcere primùm ſolet eouſq; dum putreſcat, & febrem efficiat, quam dolor, tuſsis, cæteraq́; quæ diximus inſequuntur. Sed altero quodam fundamento Victorij opinio niti videtur, nam Galenus IIII. lib. de præſagat. ex pulſibus cap. V. ſepto tranſuerſo in neruoſa parte affecto dolorem, tenſionem, & pulſus duritiem adeſſe poſſe opinatur, nulla præſente febre. Cùm igitur poſtea dixerit perſimilia in pleuritide contingere nocumenta his quæ fiunt in affectu neruoſæ partis ſepti tranſuerſi, quid prohibebit quin dolor, pulſus durities, & reliqua à febre ſymptomata in pleuritide reperiantur? Hic verò longè fallitur, & Gal. ſententiam non eſt aſſecutus. Nam Galenus ſuperflua voluit quæ in pectore cõtinerentur, ſi ſepto tranſuerſo adhærerent dolorem inferre, nõ tamen neceſſariò pungitiuum. Item tenſionem pulſus antequã putreſcant efficere, quòd ſi putreſcant neceſſariò febris aderit. Si verò ſeptum tranſuerſum inflammationem patiatur, aut lateris dolor adſit, qui & ipſe inter inflammationes reponitur, febris abeſſe nõ poteſt, atq; ita Gal. verba. Si ex fluxione quæ
„ in ipſum incumbit &c. exponi debent. Cùm verò inflamma-
„ tio adfuerit tunc inquit; Omninò delirabunt, & pulſum du-
„ rum, paruũq́; habebunt, & quia copioſus eſt calor .i. febris
„ adeſt, omninò creberrimum. Eodem pacto febris aderit in lateris dolore, quòd in ipſo multa caloris eſt copia. Si igitur Gal. ſententia rectè intelligatur, ex prauo verborũ ſenſu quod Victorius fecit non decipiemur.

CVM verò rurſus imaginatur multos humores circũ ſubcingẽtem coſtas membranam fluxiſſe, qui vt de tranſuerſo ſepto diximus, tenſionem, & dolorem abſq; febre vel inflamma-

tione

tione efficiant; videtur planè hæc admittēda esse imaginatio, sed Curtio non aduersatur, nam hoc casu vena edirectò secari debet, cùm vicinæ inflammando loco partes repletæ sint. Hic verò piget afferre rationes illas, quæ ad hoc asseuerandum sæpe attulimus. quare his reiectis locis, quibus primus Victorij sermo consumitur, ad eas rationes refellendas accedamus, quæ non alienis è libris, sed è proprio ingenio deprompsit.

PRIMùm igitur existimat venæ directæ sectionē perperam adhiberi, cùm humor adhuc fluit, ea præsertim ratione, quia ad duas diametros reuelleremus, & hæc etiam nullo pacto reuulsio dici posset. Sed hæc inuicem pugnant, quòd reuulsio ad duas diametros fiat, & quòd reuulsio non appelletur. Præterea falsum est quòd venæ sectio edirectò duas diametros intercipiat, nam hæc sanguinis missio nullam perfectam diametrum continet; Educit enim sanguinem vicinorum locorum, qui ad inflammatam partem fluit, & inflammationem auget, vt sæpe diximus; neq; ex hoc sequitur vt hæc reuulsio per duas diametros fiat, vt apertè vel Auicenna teste IIII. parte pri. lib. potest intelligi, cùm eiusmodi reuulsionis formas docet. Sed age suasmet rationes Victorio opponamus. Cùm enim statuerit vt vero pleuritidis initio venam affectæ partis secemus, hoc vero initio humor partim fluxit, partim fluit; Item cùm reuulsio fluentium humorum medela sit, sequitur necessariò vt venæ directæ sectio vel reuellat, vel perperam adhibeatur. Sed his omissis, quæ antea quoq; reprobata sunt, reliquas Victorij rationes refellamus. *Prima ratio Victorij.*

IN secunda, maximo fluxui maximam reuulsionem competere inquit; venæ verò edirectò sectionem non maximè reuellere & hac rōne nō adhibēdā esse opinatur. Sed errat, neq; adhibet distinctionem inter magis ac maximè fluere, & fluere multū, vel maximum humorem; ad eam enim partem quæ dolet, & paucus humor vehementer, & multus moderatè fluere potest. Reliqua confusè admodum dicta sunt; Cùm enim duæ sint fluxiones, altera à toto corpore ad vicinas inflammationi partes, altera ab his ad locum inflammationis, in vero pleuritidis initio cùm iā dolor cœpit, maximè fluet humor à vicinis par- *II. ratio Vict.*

tibus ad eam quæ afficit, quoniam dolor fluxiones vehementer irritat, & inflammationes auget. Si verò hoc tempore vena edirectò secetur, quî fieri poterit, vt non reuellat? Quandoquidem si ex altera parte sanguinem mitteremus, nihil eius fluxionis, vel parum omninò reuelleretur; Sed hic quoq; ratio reflectatur. Essentiæ morbi initio humor à vicinis locis ad affectam partem maximè fluit, maximè igitur reuelli debet; Cùm ergo directa sectio Victorij sententia, non maximè reuellat, non poterit etiam hoc tempore adhiberi; Victorij dico sententia, qui directam sectionem essentiæ morbi initio maximè competere existimauit.

III. ratio Victorij. FALLITVR etiam cùm directam venæ sectionem ideo non reuellere opinatur, quia in extremo diametri rectitudinis esse non videtur, sed via quadam inæqualiori consistere. Nam si à vicinis partibus humor feratur ad inflãmationem, iam in extremo diametri rectitudinis esse videbitur, quæ rectitudo est inter vicinas partes, & inflammationis locum. Si igitur auferatur optimè fiet reuulsio, & quæ abaltero ad alterum extremum humorem trahat.

IIII. ratio Victorij. IN sequenti verò ratione multa incassum affert, vt fluxionem è dextris in sinistras partes, & è sinistris in dextras fieri posse probet, & ex his nostra reuellendi ratio reprobetur. Sed facilè refelli potest ex ijs quæ sæpe diximus; nam quomodocũq; humor fluat, priusquam vicina loca passuræ parti repleuerit, potest per sectionem venæ cubiti vel pedis fieri præseruatio, sin verò vicina affectæ iam parti loca repleta sint, quia inde rursus humor fluit ad inflammationem, sanguinem ex directa parte mittere oportet, quod & Victorius concessit, etiam si multis hinc inde verbis tergiuersari videatur; Cum verò inquit ex proprio Gal. libro de curandi ratione per sang. miss. probari posse directam venæ sectionem non esse reuulsiuam, hallucinatur admodum, & suo arbitrato rem effingit.

V. ratio Vict. FALLITVR adhuc magis, cùm particulari casu posito, vniuersi iã defluxi humoris in vniuersum existimat directam venæ sectionem humorem qui fluit educere non posse. Posito

enim

enim quod fluxerit iam humor penitus, certè quælibet venæ sectio fluxionē quæ nulla est inhibere poterit, nō verò fluens humor educetur. Neq; hinc asseuerandum est in vniuersum non posse educi fluentem humorem ex directa venæ sectionē, etiam si particulari illo casu cùm nil vltra fluit, fluens humor non vacuetur. Falsum etiam est directam venæ sectionē deriuare tamtùm posse Gal. sententia; non verò reuellere; & Gal. verba oppositū innuere videtur. atq; vt ante diximus, è Curtij lib. potest intelligi, eadem venæ sectione reuulsionem simul ac deriuationem fieri posse. Falsus igitur est hic argumentandi modus; Reuellit, ergo non deriuat, vel deriuat, ergo non reuellit. Gal. etiam II. lib. ad Glauc. manifestè Victorio aduersatur; Nam patiente vtero reuellit quidem venis cubiti sectis, deriuat per sectionem venæ pedis; Sed vtroq; tamen casu rectitudinem seruandam docet, vt si dextra pars affecta sit, dextram venam, si sinistra, sinistram secemus.

MVLTA diximus de reuulsione ad longissima moliēda, & quo pacto venarum edirectò sectiones reuulsiuæ possint appellari. Quare cùm Victorius inquit saphenæ sectionem initio adhibendam, & per directam venam sectam reuulsionem fieri non posse, fallitur; Docuimus enim quo pacto, & quo tempore longissimæ reuulsiones quæ p venas pedum fiunt, adhibendæ sint; quippè non ipso morbi initio, neq; cum superiores corporis parte sunt affectæ, sed eo tantùm tempore cùm futurum morbum timemus. Cùm enim inflammatio incœperit, à læso magis loco educere intendimus, quàm reuellere; præter id quòd reuulsiones oēs secundum rectitudinem fieri debent, & ipsa directa sectio reuellit, & ad contrarium motus humorem trahit. Sed animaduertere oportet qūo hæ rationes inter se dissident, si quidem posterior ideo asserit directas venarū sectiones non reuellere, quia è contrario non fiunt, prior verò edirectò reuellendum monet, sed ad quam longissimam partem; quare Victorius simul docet fluentes humores nunc edirectò, nunc è contrario reuellendos esse. *VI. ratio VII. ratio Vict.*

QVOD autem Hippocrates Victorij sententiæ adstipuletur, cùm in lib. de natura hominis venas à dextro ad sinistrum dixit *VIII ratio Vict.*

æit deriuari, planè refellitur, & ipſo teſte Gal., qui in eius loci interpretatione illam ſententiam tanquam Hippocrate indignam reprobauit. Falſum enim eſt quòd venæ à dextris partibus ad ſiniſtras, vel contra à ſiniſtris ad dextras deriuentur. nam à magna vena, quam chilis dicunt, venæ deducuntur æqualiter, & ad dextram, & ad ſiniſtram partem.

IX. ratio Vict. QVAE verò præterea de reuulſionibus ad longiſsima faciendis adducuntur, iam planè à nobis confutata ſunt, cùm diximus eas reuulſiones præcauendi gratia adhibēdas, teſtimonio Gal. in commentario lib. Hippocratis de natura humana. Reliquæ verò auctoritates, etiam ſi in ſanis corporibus non intelligerētur, rectitudinem tamen ſeruandam ſupponerent, & in his ēt potiſsimum morbis ac temporibus veritatem haberent, in quibus reuellere magis, quàm à loco educere propoſitum eſſet; ſin verò eductio à læſa parte magni facienda eſt, Gal. conſilio cauere oportebit, ne hoc vſu ſepoſito longiſſimas vel longas reuulſiones aggrediamur, quæ vt ſæpe probauimus, vel nihil vel parum prorſus adiumenti poſſunt afferre. Quòd verò ipſe etiam Victorius inflammatione verè inchoante directam venam ſecet, ſupra quoq; à nobis dictum eſt.

X. ratio Vict. QVID autem abſurdius excogitari poteſt, quàm dolorem prima vel ſecunda die ad notatu digna incrementa non poſſe perduci, aſſeuerare? Hoc ipſum enim & ratio, & experimentum teſtatur; quare ſi vigor is acceſſerit, venam ex affecto latere ſecari oportebit, quam etiam ſecare ſolemus antequam eiuſmodi vigor appareat. Sed planè refellendus eſt argumentandi modus quo Victorius vtitur; ait enim. Plerunq; in pleuritide accidit vt ſanguis ad animi defectionem vſq; mittatur, id verò fit ſecta edirectò vena, ſed initio tantam feciſſe vacuationem non prodeſt, non igitur venam edirectò morbi initio ſecabimus; quaſi non poſſimus ex eademmet vena & modicum ſanguinis auferre, quod ad ſanandum ſufficiat, & rurſus non modo animi defectionem, ſed planè mortem afferre.

XI. ratio Vict. CONSIMILI quoq; fallacia ſequens ratio niti videtur, ſed illa omiſſa, ratio reddenda eſt coloris ſanguinis, qui mutatur. Hæc verò ratio eſt, quoniam cùm edirectò ſecatur vena, is

primum

primùm sanguis exit, qui loca repleuit vicina inflammationi & ex parte ad ipsam fluit inflammationem; deinde alter sequitur qui iam alterationem suscepit. Cùm igitur anteq; morbus incipiat color nondum sanguinis sit mutatus, non ideo brachij directi venam secabimus, vt inquit, sed pedis potius aut brachij non directi, nam hoc tempore sola præseruandi ratio proposita est, quæ fieri potest vt diximus, ex eiusmodi venarum sectione.

TANDEM quæ de humorum fluxu adducuntur, ex ante narratis declarata sunt; duo enim humorum fluxus in ijs quibus de agimus morbis adesse solent, alter à toto vel à quapiam corporis parte ad loca inflammationi vicina, & hic plerunq; fluxus incertus est, & proprijs caret indicijs; alter ex vicinis partibus ad sedem inflammationis, cui initio occurri solet vena edirectò secta, vt Hippocrates, & reliqui sapientes scriptum literis mandarũt; quo omisso subsidio, aut graue periculum, aut certa mors afferri solet. sed iam rationibus reiectis alterum libri caput percurramus. *XII. ratio Vict.*

PRIMVM verò similem curationem esse inquit pedum vel manuum laborantium, & ipsius dolentis lateris; sicuti igitur ex ipsis patientibus manibus vel pedibus sanguis initio nõ mittit, ita ex affecto latere non erit secanda vena, cuius rei testimoniũ Gal. affert II. libro ad Glauc. qui similem esse curam ait internorum, & externorum affectuum. Sed Galeni locus non ita intelligendus est vt Victorius asserit, & similitudo curationis hac ratione potius consistit, vt sicuti quocunq; loco patiente ex eo ipso sanguis mitti non debet, ita si alter pedum laboret, ex altero sanguis mittatur, & in pleuritide, non statim fiat in ipso patiente loco scarificatio, sed vena directi brachij secetur. Hoc igitur internæ, & externæ inflammationes commune habent, vt ex eis ipsis patientibus locis, non mittatur sanguis, sed ex quamproximis. Victorius verò suarum rationum oblitus esse videtur; si namq; initio essentiæ pleuritidis sanguinem mittit ex affecto latere, ergo crure patiente ex eo ipso sanguis mittetur, & morbi initio, quod non solùm Galeno, sed cunctis etiam medicis aduersatur. *Secundi capitis Vict. primũ principale.*

Fallitur

Secūdum principa le. Vict.

FALLITVR magis cùm dextro crure patiente venam sinistri brachij secari posse contendit, idq́ue Gal. testimonio .ij. libro ad Glauconem, & ex alijs quoq; locis, cùm reuulsionem è dextro ad sinistrum faciendas docet, nam in loco .ij. libri ad Glauconem antiqua illum fefellit trãslatio, quòd aperte in nouo latino codice, & in græco etiam corrigitur; & præterea falsissimum est quod inflammato genu, vel crure dextro, vena sinistri brachij secanda sit. Si verò Galenus dicit humores dextrum versus fluentes reuelli cùm ad sinistrum trahuntur, id quidem concedimus, sed nihil Victorio adstipulatur, quandoquidē plerisque locis monuerit venas edirectò secādas esse. Aberrat quoq; cùm in reuulsione quæ ad contrarium fit, contrariã intelligit partem. At instat Victorius quadam captiuncula, si humor ad dextrum fluit, terminus ad quem motus, est dextrũ, si igitur reuellere voluerimus, terminus à quo reuulsionis, idem erit dextrum, illius verò cõtrariũ erit terminus ad quem, sed dextro contrarium est sinistrum, & non aliud; ergo humore ad dextrũ fluĕte, reuulsio ad sinistrũ, & non ad aliud facienda erit. Hic verò, præter id quòd rationem reuulsionis ignorat, suo etiam se ipsum refellit argumento, Nã humore introfluente, terminus à quo reuulsionis erit intus, huius contrarium terminus ad quem, sed intus contrarium est extra, & non aliud, igitur humore intro fluente, si extra duxerimus, reuellemus. Item humore ad medium inter sursum & deorsum fluente, terminus à quo reuulsionis est idem medium, cui contrarium est sursum vel deorsum, & non aliud, igitur humore ad medium fluente, sursum vel deorsum reuellendi gratia trahemus. Putat verò Victorius, si quamlibet euacuationem quæ extra corpus ducat, ad longissima ducere existimemus, etiam pharmacum patiente ventriculo vel intestinis exhiberi posse, quippè, & reuellet, & extra corpus ducet. Sed non ita dictum est à Curtio, reuulsio enim quæ fit ad longissima, inflammationum initijs non conuenit, sed satis est si reuellamus, & extra corpus ducamus. Hæc verò si libet longissima etiam appelletur, quoniam longissimum attingit locũ, quem reuellentes assequi possumus. Pharmacum verò de quo

loquitur,

loquitur, etiam si aliquid ducat extra corpus, non tamen reuellit, sed humores magis trahit, & inclinat in læsam partem. venæ igitur directæ sectio, in ijs qui pleuritide laborant ad lõgissima trahere dicetur, quoniam reuellit, & extra corpus ducit. Fallitur etiam Victorius cùm humoris motum qui à medio sursum fit reuulsionem non esse opinatur, hoc enim antea quoq; à nobis ostensum est, & rõne comprobatur, nã si reuulsio à medio sursum, vel contrà à superiori loco ad mediũ nõ fieret, in lippitudine, & dolore capitis venas cubiti non secaremus, quæ tñ secantur, & Gal. teste reuellũt. Sed hæ vocum qõnes omittantur, nam id in vniuersum iam diximus, humores quomodocũq; fluant reuelli, si ad sui motus contrariũ ducantur. Venæ verò sectio edirectò, ẽt si deriuare dici põt, simul tñ reuellere sæpe dictũ est. Quòd aũt venæ sectio brachiorũ patiẽte vtero deriuatiua sit, planè falsũ est, et Gal. aduersatur. Cùm verò Victorius fatetur reuulsionẽ limitatè appellãdã cũ vena secatur edirectò, quæ cũ suapte natura deriuet, reuellere dicitur ob eam, quæ fit extra corpus, eductionem, miror cur veræ reuulsionis rõnem à venarũ sectionibus dirimat, quæ humores ad motus contrarium reuellunt, qui ẽt si ad longissima nõ ducãtur, attamen à reuulsionis nomine, & rõne non absunt, quæ in contrarietate motus fundantur. Fatemur quidẽ reuulsiones, & cũ euacuatione, & sine ipsa ẽt fieri posse; sed nõ dicimus eas, q̃ cũ euacuatione fiunt, reuulsiones deriuationis nomen subire, cuius rei testimoniũ haberi põt à Gal. II. libro ad Glauc. cũ venæ brachij sectionem, quæ fit affecto vtero, reuulsiuam nuncupat, nõ deriuatiuã, vt perperã Victorius intellexit; cui quidem minus videtur fauere motuũ illa varietas, pro qua emendanda varia ẽt remedia conatur afferre; fatemur. n. humorẽ, qui infrà est, sursũ trahi, qui intus extra nõ qui sursũ extra, aut qui infra intus. Fatemur ẽt cõtrarietatẽ inter sursum & deorsum, rectitudine niti, quæ verò inter extra & intus, profunditate, sed dicimus vnica venæ sectione humores, & sursũ, & extra simul duci posse, nihil. n. prohibet quin humor, qui infra est, & intus, ita à medio extra, sicuti sursũ moueatur. Quòd verò inquit cucurbitulæ appositione à profunditate corporis, ad extra trahẽdũ accõ

modatiorẽ fore, quã venæ sectionẽ, rectè quidẽ inquit, sed non id tantũ ipsi volumus vt humor à ꝓfundo trahatur, immò verò & sursum trahi, & per venæ magnæ sectionẽ reuelli debet; quo fit vt cùm multæ intentiones connexæ sint, multis quoq; remedijs indigent, quæ cuncta vnica venæ edirectò sectione fieri posse iam dictũ est. Humor igitur, qui deorsum est, & intus, simul sursum & extra trahi debet, & non ad vnicum, sed ad duplicem terminum ad quem, reuelli.

III. prĩcipale Victorij. LOCVM aũt Gal. III. lib. Medicinalis artis iam Turinũ refellẽtes exposuimus; nam vniuersi corporis vacuatio, quæ cæteras natura præcedit, à nobis ẽt suscepta est, sed eo tñ pacto, vt simul vrgẽti morbo occurramus. Cæterũ si Victorius cõcessit initio essentiæ pleuritidis venam eidirectò secandã esse, & ea præsertim rõne, qm̃ vniuersus humor defluxit, quo mõ nõ aberrabit hoc loco, cũ vniuerso defluxo humore, totũ corpus euacuãdũ putat per oppositæ venæ sectionẽ? Aberrat ẽt cũ Gal. locũ, qui disiunctim positus est, copulatim intelligit, nã Gal. inquit totũ euacuare corpus, aut omninò ad cõtraria loca reuellere. Quæ verò subiecit verba ad rẽ præsentẽ nõ attinẽt, nã vel dicas quãto per maiora, vel quãto per minora, nil indè sequi poterit cõtra nostrã sententiã, licet legi oporteat, per maiora vt in eius loci interpretatione Curtius optimè adnotauit.

IIII. principale Vict. PIGET me eadem sæpius referre, sed cogor inuitus cum ijdem frequenter errorem replicent. sæpe enim à Curtio, & à nobis ẽt dictum est, quo pacto eadem venæ sectio reuulsiua, & deriuatiua dici possit, nam si humoris motũ spectes, qui è paruis venis magnas ingreditur, nostra venæ sectio reuellere dicetur. Si humorẽ spectes, q̃ ascẽdat, uel descẽdat ꝑ venã, quã chilis appellãt, deriuatiua erit sectio, & ad latera motus trahet; hæc verò rõ est, qua multi aduersariorũ errores refelli possunt. Sed age Victoriũ suismet argumentis torqueamus, nã antea concessit in Essentiæ pleuritidis initio, venã ex affecta parte secari oportere, quã igitur venã secabit hoc eodẽ initio, si aliqua ex parte adhuc humor fluatur? Si directam, cùm hæc sectio deriuatiua sit, iure videbitur de fluxo tantum humori, non fluenti accõmodãda. Itẽ reuulsiua dici non poterit, qm̃ ad longissimas partes nõ trahet

het. Neq; ẽt à læsa ipsa parte educere dicetur, qm̃ ex Victorij placitis tales euacuationes certã afferũt mortẽ, si morborũ initijs adhibeãtur. Nullo igitur pacto venæ directæ sectio adhiberi poterit essẽtiæ pleuritidis initio, quod tñ Victorius affirmauit.

PORRO cùm fluentem humorem deriuari non posse putat, decipitur; Nam qui ad latera motus trahitur, dicitur deriuari. Item fallitur in ea argumentandi ratione cùm inquit, humor ad contrariũ reuelli debet, igitur à sinistro ad dextrũ, vel à dextro ad sinistrũ trahendus est. Sed nõ mediocres adhuc angustiæ Victorio videntur iminere si enim humor sit intus, duci extra debet. si deorsũ, sursum trahi; si igitur deorsum, & ad dextrũ fluat, iam sursum ad sinistrũ trahetur, multæq́; simul reuulsiones fieri debebunt, non vnica. Sed errauit adhuc grauius in loco Hippocratis & Gal. intelligendo, primo lib. prædictionũ, par. xxxiij. inde enim putauit Victorius, si liene inflãmationẽ patiente, sanguis per sinistri brachij venam sectam sursum trahatur, hanc tractionem ad contrariũ nõ esse, & in vniuersum nullã edirectò missionẽ sanguinis reuulsionis nomen merere: quæ adeo falsa sunt, vt declaratione non egeãt; maior enim est supernæ & infernæ partis contrarietas, quàm sinistræ & dextræ; vt Gal. mittã qui II. libro ad Glauc. & lib. ẽt de sang. mittendi ratione, alijsq́; locis reuulsiones, deriuationemq́; secundum rectitudinem faciendas docet. Verba verò libri prædictionum contrarij nomine oppositam partem nõ intelligũt, sed ita potius exponenda sunt. *Liene grandiore, fluxus sanguinis nariũ edirectò factus .i. in sinistra parte, iuuat; cõtrà verò factus .i. non edirectò, sed in dextra parte, nulllũ subsidiũ afferre potest*; ita è contrario idem quod nõ edirectò intelligimus; vtitur enim Galen. his verbis oppositis κατ' ἶξιν, & ἀνάπαλιν, quorum illa edirectò, hæc è contrario significant; neq; hic sensus obest, imò verò fauet, vt directam venæ sectionem in reuellendis humoribus eligamus, quæ fluentes humores ad prioris motus contrarium auertit. *V. principale. Vict.*

AT instat Victorius; si directã venam in dolore lateris secamus quia à medio ad aliquod extremorum corporis humores intendimus auocare, cùr breue spatium inter medium & locum su- *VI. Vict.*

periorem eligimus, non verò inter medium, & inferiorẽ, quod ad reuellẽdum aptius esse videtur. Hoc verò ex his quæ antea diximus refelli pōt. In dolore.n. lateris intentio est nō reuellẽdi modò, sed à læsa etiam parte educẽdi, vnde venæ sectio pedis vel oppositi brachij iure omitti debet, vel eo tm̃ temporẽ adhiberi cùm velimus à morbo qui nondũ corripuit præcauere.

VII. Vict. Cvm verò affert authoritates librorum Hippocratis de hominis & de ossium natura, afferrimus & ipsi interpretationem Gal. vt & antea fecimus; nam veritatem tantùm habent in sanis, & qui nondum patiuntur. Quæ verò ex Hippocrate allata sunt, libro qui inscribitur de locis in homine, palam loquuntur de cucurbitulis sine scarificatione, non de secandis venis. & ille præterea liber qui circunfertur Hippocratis nomine, multa cō tinet Hippocrate indigna, vt Gal. testatur III. libro de ratione vict. acut. morb.

VIII. principale Vict. Pavlvm postea secũ sẽtire Victorius existimat, in opposita, & longissima reuulsione adhibenda, quã quidem ipsi quoq; suscepimus cùm nihil educere intendimus à læsa parte. Sed iam mentem Pauli sumus interpretati, qui si etiam ita intelligeretur, Victorio etiam aduersaretur, qui essentiæ pleuritidis initio, in quo fluere humor potest, proximas, & directas venas secauit. His autem omissis quid absurdius excogitari potest, quàm quod hic à Victorio confirmatur. Iecur dico, & lienem ab humore aliunde fluente inflammari non posse? iam ne non poterũt à reliquis corporis partibus ad has ipsas humores transmitti? vel vena, quæ chilis dicitur, quæ vniuersum ferè corpus irrigat, riuulos replere non poterit, qui iecur & lienem pertingunt, & inflammationem efficere, nil certè ab homine Medicæ artis perito, aut dici, aut excogitari potuit peius.

IX. principale. Vict. Aëtij postea locum affert, in quo quidem bifariam decipitur, primùm quòd quæ inquit Aëtius Archigenis sententia, quasi Aëtij propria sint adducuntur; deinde nō videtur legisse propriam Aëtij opinionem, qui. iij. lib. xij. capite nobis apertè fauet, & Victorij sententiæ aduersatur. Quæ verò ab Aëtio Archigenis opinio recitatur, minus curanda est, cùm idem Archigenes multis & magnis in rebus, quæ ad rem medicam

attinent

attinent, sæpe reprobetur à Galeno.

DEMVM minus fauere põt Victorio alterũ Archigenis dictũ, q in dolore lateris subcingentem costas membranã, in latũ extẽdi existimauit; Hinc verò argumentatur Victorius reuulsionem quoq; secũdũ latũ faciendã vena oppositæ dextræ vel sinistræ partis secta. Sed fallitur. nõ.n.lata tantum fit extẽsio, sed vena ẽt affectæ partis lata via procedit; quo fit vt illa secta reuulsio fieri videatur secundum latum. Sed iam nimis immoramur in authoritatibus refellendis, quæ à Victorio adductæ sunt. *X. princi pale. Vict.*

REliquum igitur est, vt responsionibus occurramus, quæ sermone sequenti commemorantur. *Sermo III.*

PRimũ verò Hippocratẽ & Gal.ij.&.iiij.lib.de ratione vict. acut. morb. interpretatur, & multis sanè verbis, vt de fluxo iam humore non de fluenti verba fecerint, cùm venam edirectò secandam consuluere. Sed hic laborandum non est, vt prauum sensum qui iam reiectus est repellamus, diximus.n.humorem quidem ad vicina inflãmationi loca defluxisse, inde aũt ad affectũ locum defluere, & augere inflammationem, quo tempore venam edirectò secandam satis superq́ue monstrauimus. *Vict. Prima respõsio Vict.*

CVM verò inquit, non esse ideo apud Hippocratẽ vel vnicũ verbum de vena ex opposito secanda, quia nunquã de viæ initio locutus est, sed de humoribus tantùm defluxis, assentimus quidem Hippocratis verba in essentiæ pleuritidis initio intelligenda esse, inde verò nihil contra nos afferri potest, qui ante pleuritidis initium sanguinem non mittimus, nisi ex pede, vel opposito brachio, quod si secus sentiat Victorius, sibimet, non verò nobis aduersatur. Ita ẽ.iiij.lib. de ratione vic. acut. morb. nihil cõtra nos affertur, neq; ẽt ex lib. Hippoc. de natura humana, si quæ anteà, sæpeq́ue diximus ad memoriam reuocentur. *II. resp. Vict.*

CVM ẽt Hippocratẽ in suã sententiã nititur trahere, qui.iiij.lib. de rat. vict. acut. morb. pharmacũ quarta die exhibendũ præcipit, & alibi Anaxioni lateris dolore laboranti sanguinem misit octaua die, rectè quidem existimat directam venæ sectionem defluxis iam humoribus, & pharmacum etiam locis illis adhiberi. Sed non sequitur eadem remedia fluentibus quoq; humoribus non esse adhibenda, nam eadem venæ sectio vtrisque *III. responsio Vict.*

temporibus

temporibus conuenire potest, fluentibus quidem humoribus, si initio adfuerimus, defluxis verò, si quando esset omissa. Quæ verò adducit de pharmaco quarta die exhibendo, iam ex Galeno reprobata sunt, qui illo commento eam sententiam neq; Hippocratis esse, neq; Hippocrate dignam existimauit, nam prima statim die vbi morbus inhochauit, & humores ad vicina affectui loca defluxerint, indeq́ue ad affectum fluant, si dolor descendit pharmacum protinus est exhibendum, sint ascendat, vena edirectò secanda est. Quæ verò sequitur ratio perperam adducitur, nam Curtius ita semper existimauit, vt humori partim fluxo partim fluenti, directa sanguinis missio cõpeteret. Fingit autem Victorius, vniuersum humorem defluxisse, & nondum cœpisse inflammationem.

IIII.re sponsio Vict. INSTAT præterea Victorius pessimo sanè fundamento, humorem inquiens qui neq; turget, neque concoctus est, euacuari prorsus debere, simul verò Hippocratis sententiam peruertit.iij.lib.de ratione victus acut. morb. particula.xix.aduersus quam opinionem ita Curtius publicè dimicauit, vt quot quot eam medendi rationem insequũtur, vel protrahere morbos, vel mortem afferre demonstrauerit, definiuntur.n.turgẽtes humores, qui ante concoctionem educi possunt.xxij. Cõmento primi libri aphorismorum, &.viij.et libro de cõpositione medicamentorum secundum locos, vnde verba Gal.clariora esse non possent contra malos nostri temporis medicos, qui secus opinantur, & operantur. Quod & olim fortassis opere dicato à Curtio monstrabitur. Hallucinatur igitur Victorius, cùm loco adducto ex Hippocrate probari putat ante pharmaci exhibitionẽ sanguinis missionẽ præmittendam, nihil enim ibi probatur, sed inconuenientia dũtaxat adducuntur, quæ pharmaco ante concoctionem exhibito consequi solent. Licet verò, id omninò verum sit, venæ dico sectionem pharmaco præmittendam, cùm vtroq; subsidio indiguerimus, nulla tamen huius rei probatio, & loco adducitur ab Hippocrate. Errat etiam Victorius, cùm in dolore lateris putat humores adesse turgentes, dolore in quam ascendente, nam potissimum turgent humores cùm suo motu excretionem adiuuant.

In dolore autem lateris hoc euenit, cùm humores ſuo motu viam eductionis præmonſtrant, & ſibi ipſis opitulãtur, quod multis Galeni teſtimonijs antea quoq; declarauimus.

LOCVTVS verò. xxij. aphoriſmi. vi. libri cùm dolores, à dorſo ad cubitum deſcendentes vena in cubito ſecta iuuari dixit Hippocrates, noſtræ fauet opinioni, cùm dolores à pectore ad internam brachij partem aſcendentes, venæ edirectò ſecta curamus. Quæ verò affert Victorius vt naturæ motus indicet, & reliquos quos ſibi vendicat affectus tanquam ſymptomata, & obſecurè dicuntur, & nihil ad propoſitum negotium videatur attinere. Mirum enim eſt, quòd ignoret ita dolorem poſſe protendi à pectore ad internam brachij partem, ſicuti à dorſo ad cubitum deſcendere, quibus vtriſque caſibus optimus ad educendum locus inueniri poteſt. Non eſt autem committendum, vt medicus prauum humoris motum, qui vel ad membranam ſubcingentem fieri poteſt, vel à cubito, vel aliundè ad inflammandum dorſum immittetur; ſed tamẽ vtroque caſu vena edirectò in cubito ſecari debet, ne fruſtra inuitemur ab humore eò repente, & inclinante, ad illam partem euacuandi gratia eligendam. *V. reſpõ. Vict.*

RVRSVS verò reiectam aliâs rationem victorius adducit, & naturæ motum eo tantùm tempore imitandum aſſeuerat, cùm morbi vigor adfuerit, tunc enim optima iudicia fieri ſolent, quo fit vt. xxi. aphoriſmum primi libri in ſolo morbi vigore verificet. Sed Galenus. x. Commento. ij. libri de ratione victus acut. morb. eam ſententiam, quæ motum naturæ imitandum ſuadet, dolori lateris accommodauit, vnde Victorij opinio refelli poteſt, qui eam quorumlibet morborum vſui magis, quàm lateris dolori conuenire exiſtimauit. *II. principale Vict.*

MVLTA addit de mittendo ſanguine in iecoris vel tunicæ coſtarum inflammatione, duplicemque reuulſionem declarat, alteram humorem inflammationis, alteram eum qui fluit educentem; quas quidem ſuo vitæ initio adhibendas aſſeuerat. Hic verò negari non debet, quin fluens humor vnicus aliquando reuellatur, aliquando ſimul educatur qui inflam-matã partẽ obſedit, duplicemq; fieri reuulſionẽ, etiã ſi id non *III. prĩcipale Vict.*

eſſet

esset à Galeno confirmatum; reuellitur enim humor cum euacuatione à læsa parte, veluti in dolore lateris fieri diximus, cùm vena edirectò secatur, & hæc ea fortaßsis reuulsio est quã Victorius appellauit ab euacuatione; Rursus educi potest humor, euacuatione læsam partem non attingente, sicuti cùm pedum venæ secantur morbo costas affligente. De priori autem reuulsione verba fecit Galenus, cùm incipientes inflammationes reuulsione vacuandas dicebat, præsertim ea ratione, quòd posteriori reuulsione non possunt inflammationes euacuari. Falsum verò est quòd Victorius inflammato iecore opinatur, humorem.s.iam fluxum esse, & nullo pacto fluere cùm vena edirectò secatur, id n.antea quoq; reiecimus & Galenus præterea idem confirmat xiij.lib.de curand. morb. cum inquit. Ergo pariter tum reuellendus est, tum educendus qui
„ ad iecur fluit sanguis interna in dextro cubito secta vena; Aui
„ cenna etiam in lateris dolore descendente, nihil à læsa parte educi existimauit interna vena secta, multò minus igitur educet à iecore, si iam fluxi sint humores, præsertim quia interna vicinior est subcingenti membranæ quàm hæpati. Bifariam igitur errat Victorius, primùm quidem quòd incipientes inflammationes tantũmodo reuulsione inauiendas existimauit, cùm nihil humoris confluxum sit, sed penitus fluit; deinde quòd eas inflammationes appellet incipientes, quæ in initio viæ sunt; neq; adhuc secundum essentiam inchoarunt. Nos aũt incipiẽtes inflammationes appellamus quæ verè & quod ad essentiam attinet, incipiunt. Et humorem qui ad vicina inflammationi loca confluxus est, rursus ad ipsum affectum locum trãsmitti opinamur, curandumq́ue esse vt simul iam defluxus, & qui adhuc fluit educantur. Cùm verò Victorius sinistram secat venam, incerto indeterminatoq́ue totius corporis fluxui opitulatur, qui tamen certum determinatumq; dignoscere deberet, qui fit à vicinis locis ad iecur; venam igitur secat curandi gratia, quæ alias præseruationi deseruit, Galeno etiam reclamante, qui initio patiente iecore reuellendi educendiq́ue gratia, venam edirectò secauit; Nam in acutis morbis, si vnquam

alias

aliâs, à læsa parte educere operæpretium est, si igitur venæ repletæ sint iecinori vicinæ, vena sinistri lateris secari non debebit; indicant enim affectæ ipsæ partes quas secemus venas, vt Galenus testatur, quo fit vt cùm vicinæ venæ repletæ sint, fluuntq; humores, etiam si nondum iecur inflamment, vel cùm fluentis humoris pars ad inflammationem fertur, interna semper vena dextri lateris secanda sit, ipso iecinore hoc indicãte. Idem etiam in dolore lateris asseuerandum; neq; vlla rõ vlla authoritas ex his quæ afferuntur à Victorio nobis aduersabitur, si quidem loca ita intelligantur vt antea declarauimus. Quod verò inquit de fluore muliebri suppresso, cũ ea ratione hæpar inflammaretur, dicimus hoc ideo fieri posse, quia sanguis qui ad excitandos menses profluebat à toto corpore ad iecinoris partes demandetur, quo casu venæ cubiti sectionẽ quæ edirectò fit, poplitis sectioni præponimus. Neq; dicendũ est venã poplitis sectam reuulsionem tantùm efficere, quando fortassis multò magis à iecinore educat, quàm vena cubiti sinistri, inter hanc enim & affectam partem cor iacet, quod euacuationem præpedire potest, nihil verò priori eductioni impedimento esse videtur.

INTERpretatur rursus Gal. locũ, atq; asserit non esse locutum de viæ initio, cùm venæ directæ sectionem maximum afferre commodum scriptum reliquit. Id verò falsum esse cùm ex multis videri potest quæ ante dicta sunt; tum ex illis maximè quæ diximus de indicationibus quæ sumuntur à læsa parte. Sed cogitur tamen fateri directam sectionem reuellere simul, & à læsa parte ducere, quæ cùm fiant inflammationum initio vt sæpe diximus, iam Victorius in nostram sententiam inuitus trahitur. *IIII. principale Vict.*

IDEM replicat sequenti quoque responsione, & præterea multas venarum sectiones erigere cogitur, ne à Galeni placitis videatur dissentire. Hoc verò à nullo medicorum insignium obseruatum est, qui si etiam multæ venarum sectiones fieri deberent, & humor, qui fluxit partitis vicibus educi, adhuc easdem iteratò adhiberent, quæ reuellendi gratia sunt adhibitæ; maior enim defluxio hoc casu inhibenda est, & copiosior re- *V. principale. VI. principale Vict.*

uulsionis causa educendus est sanguis, quàm si læsa tantummodo pars euacuaretur.

VII. principale Vict. SED iterum varias adhiberi sanguinis missiones asseuerat, cùm pars affecta tantùm dolet, & cùm non dolet modò, sed inflãmatione etiam corripitur. Hic verò referre eadem oporteret, quæ de affectarum partium indicationibus supra commemorauimus; vel enim dolor vnicus, vel inflammatio simul affligat, eadem affecta pars eandem quoque præscribit sanguinis missionem; Si verò fluentis etiam vel defluxi humoris indicationes sequamur, repræhendendi non erunt qui simul, & fluentem reuellere, & defluxum educere tentabunt, vt interim omittamus quæ de lõgissima reuulsione sæpe narrata sunt.

VIII. principale CVM rursus eadem refert & reuulsionem etiam cum euacuatione læsæ partis venæ sectione edirectò fieri opinatur, solam verò reuulsionem, per oppositi brachij venam, superuacaneum

IX. principale Vict. existimo referre repetitam sæpe reprobationem, præsertim quòd in curandis inflammationibus nihil æquè conducit, ac si reuulsio cum euacuatione fiat initio, & in lateris maximè dolore; nam cùm punctorius dolor percipitur, humor ad vicina affectæ parti loca defluxit, indeq́ue fertur ad inflammatam sedem, quo fit, vt hic quoque directam venæ sectionem Victorius vel inuitus cogatur approbare.

X. principale Vict. AD uersantur autem sibijpsis, & sese inuicem perimunt quæ sequuntur; non enim curatio simul adhiberi morbo potest, & morbus non inchoasse, cùm enim nondum incœpit affectus, præseruationi, non verò curationi subijcitur, si Galeno & reliquis qui eius dogmata suscepere medicis, credimus.

XI. principale Vict. TANDEM primam curationem dolori inquit adhibendam nõ esse, tum quòd dolor symptoma est, tum quòd potest ipsa ex sese defluxio causa esse incrementi inflammationis; Sed si dolor symptoma est necessariò morbum sequetur, quo igitur pacto fiet vt quis dolere possit nondum incepto morbo? At qui non negamus quin ex defluxionibus dolores, & inflãmationes incrementum suscipiant, sed rursus opinamur, & Galeni testimonio, nihil valentius excitare defluxiones, & inflammationes augere, ac dolor facit, quod animaduertẽs Hippocrates,

pocrates, dolorem prius ſedandum eſſe præcepit, quàm affectus curaretur. quolibet igitur tempore ſedari dolor debet, ne nouæ excitentur fluxiones, & inflammationes augeantur.

Reliquum eſt vt poſtremum libelli caput refellamus, in quo quidem multæ afferuntur authoritates, quarum antea nonnullas reiecimus, præſertim ex libro de conſtitutione artis med. & de pronoſt. ex puls. Hic verò mirandum eſt, quòd Victorius nouam Galeni trallationem in .ij. libri ad Glauconē falſam dicit, neque quo pacto falſa ſit oſtendat, at hoc leue eſt; id autem grauiſsimum prorſus, quòd vrinam albam, crudamque & claram, pleuritidem futuram indicare opinatur, & Galeni teſtimonio ſecundo libro prædic. quo certe loco Galenus Hippocratem interpretatur, qui tales vrinas futuros abſceſsus iudicatorios indicare exiſtimauit; ſi nanq; inquit, morbus acutus eſt, futurum in ſuperioribus partibus abſceſſum ſperabis, ſin longior, in locis quæ ſub tranſuerſo ſepto continentur; quòd ſi mediæ naturæ ſit inter longiorem, & acutum, quandoque abſceſſus ſupernas, quandoque infernas partes corripiet, determinatam verò in qua fiet partem dignoſcere non poſſumus, niſi reliqua longitudinis, vel breuitatis morbi inditia adhibeantur. Quia verò in antiqua & barbara trallatione ſcriptum erat; euentus apoſtematis ad vnum duorum laterum declinare, arbitratus eſt Victorius ea verba de dolore lateris eſſe intelligenda, cùm tamen Galenus apertè dixerit abſceſſus qui in medijs morbis fiunt, nunc ſupernas, nunc infernas partes obſidere, ipſum autem futurum abſceſſum albam vrinam, claramque & crudam præmonſtrare. Alia quoque authoritas .ij. libri ad Glauconem, & falsò adducitur, & ſi cōcedatur, ad propoſitum negotium non attinet. Neque iterū eadem referenda ſunt, quæ de reuulſione incipientis inflammationis ſæpe diximus; multò minus illa de fomentis quæ nō modo fluxis humoribus, ſed fluentibus etiam accommodantur, vt præſertim vel omninò ſanent, vel nos reddant certiores maiorem excitari fluxionem, quàm per halitum digeratur. Prætereo nunc doloris alleuationem, quæ non negligendam indicationem medico præbere ſolet. Cùm verò .xxxi. Com

Vlti. caput Vict.

mento.vi.libri aphorismorum Galenus inquit,perperam adhiberi fomenta in maxima repletione, id intelligi debet cùm multò maior humoris quantitas transmittitur, quàm dissoluatur. Fatetur enim Galenus eo loco vel curare prorsus fomenta, vel quo pacto curandum sit edocere; vel igitur magnus, vel paruus sit dolor, vsu fomentorum omninò sedandus est, quæ fluxum iam humorem, & fluentem nonnunquam dissoluunt, & nouas fluxiones fieri prohibent. Ignorauit autem Victorius corruptam esse literam in trallatione sua.ix. libro de placitis Hippocratis & Platonis, siquidem præsupponit Galenus fomentorum vsum omittendum non esse, & Hippocratem adducit testem.iij. libro de ratione vict. acut. morb. cùm inquit,in dolore lateris tentandum omninò esse ab initio num dolor ex fomentis vel sedari, vel minui,ex parte queat, cuius ratio esse potest, vel quia affectus non planè notus est, sicuti cùm dolor à flatibus excitatur, vel fortè, vt inquit Victorius, quia fluens sanguis dolorē efficit absque inflammatione, vel quia licet adsit pleuritis, tanta non est multitudo quæ fomenti difflationem effugiat. Cùm igitur hoc adhibito subsidio dolor perseuerat, tunc ad sanguinem mittendum, vel pharmacum exhibendum accedimus, mittitur verò sanguis ex affectæ parti directa vena. Hactenus Galenus, qui directam sanguinis missionem adhibere etiam videtur in factitia hac & efficta pleuritide quam Victorius inuexit. Sed fallitur rursus cùm è. xij. Commento primi libri aphorismorum genus hoc morbi sumi posse opinatur, & Galenus id figmentum non approbauit, neque ad rem attinet si morbi initium duobus ternis'ue diebus contineatur, nam si dolor adest vena edirectò secabitur, cùm aūt descendit dolor, non protinus neq; simpliciter sanguinem mittimus, sed eo tātùm tempore, cùm ægrotantis natura ignoratur, vel intensissima febris affligit, vel quippiam affuerit aliud quod pharmaci exhibitionem prohibeat; Qua de re cùm supra quoque multa dixerimus, ad reliqua refellenda nostra verti debet oratio.

IOANNIS BAPTISTAE SVSII, DE VENIS EDIRECTO SECANDIS

LIBER TERTIVS.

ADVERSVS VICTOREM TRINCAVELLIVM ET ANDREAM VESALIVM.



Vo super sunt hostes, insignes sanè, & probatæ doctrinæ medici, quiq; amari à me, & plurimi fieri iure debent, vel mutua inter nos beneuolentia, vel studiorum similitudine; Prior victor Trincauellius, cuius liber nup in lucē prodijt, alter Andreas Vesalius, præclarus corporū dissector, qui nouā opinionē, atq; à nemine prius susceptā excogitauit, vt ab axillari vena dextra snaguis semper mittatur, in internis inflāmationibus; quæ circa pectus maximè fiunt. Et si verò id ego feram molestè, vt aduersus eos qui de re medica optimè meriti sunt verba faciam, tamen id ipsum veritati condonandum est, quod aliâs mihi crimini daretur, præsertim quòd Galenū, quòd Curtium summos viros, & de me scriptis, & voce etiam benemeritos, tueri proposuerim; quorum opinio ab horum virorum scriptis, & infringitur, & obscuratur; sed iam Trincauellij sententiam refellamus.

MVLTA quidem primùm præfatur, vt duplicem conditionē asserat in vena quæ secari debet, alterā quòd proxima sit parti humorem demandanti, alteram quòd cōtraria sit parti quæ afficitur. Quæ cōditiones cùm in directa vena inchoante morbo, non videantur reperiri, iure putat omittendam esse venæ edirectò sectionem, secandam verò venam oppositi brachij, in qua vtrumq; seruari posse videtur, vicinitatem dico demandantis partis, & contrarietatem. Sed hic ad memoriam reuocanda sunt quæ de duplici defluxione sæpe narrauimus, nam fluunt primùm humores vel à toto corpore, vel à parte ad loca vicina inflāmationi; deinde ab his partibus ad ipsam fluunt

inflammationem; hæc verò defluxio, quæ à vicinis partibus oritur, longè maior est superiore; quo fit, vt vicinæ partes demandantium nomem sibi vendicent, quibus quidem cùm vena directa proxima sit, iure prior conditio, quam Trincauellius imaginatus est, in vena directa reperietur. Erit igitur directa venæ sectio proxima omninò demandanti parti. Posterior etiam conditio seruandæ contrarietatis in eadē vena inesse videbitur, si eorum meminerimus, quæ de hac ipsa ad contrarium motus humorum tractione supra censuimus. At non proximas partes, sed remotiores quæ demandant videtur Trincauellius intellexisse. Qua igitur via ac ratione innotescere illi potuit, oppositi cubiti venam remotis illis partibus vicinam esse? Quæ sanè vena omnium remotissima esse videbitur, illa maximè ratione, quòd humorum defluxiones inter dextram, & sinistram partem rarò admodum contingunt; Sed animaduerti etiam debet defluxionem illam à toto ad vicinas partes, & obscuram, & exilem esse, carereque certis inditijs quibus dignosci posit; quæ si etiam perciperetur, vt stata loca non sunt à quibus oritur, ita nunc in altero pedum, nunc in altero cubitorum venam secaremus; Quid verò dico secaremus? Nam etiam si primus defluxionis ortus dignosceretur, cùm in morbi initio ea primùm indicatio sese offerat vicinarum partium euacuandarum, & defluxionis ab inflammata parte reuellendæ, reliquæ demandantes partes omitterentur, & vena edirectò secāda esset; hæc verò paulò infra euidentius ostendemus.

Pri. ratio Trīc. CONATVR verò Trincauellius suam hanc opinionē ex Hippocratis, & Galeni dictis asserere. Primùm quidem quòd vniuersalem euacuationem particularibus subsidijs prætulerunt. Qua in re falsò putat nos abstinere ab vniuersali euacuatione; Si quidem sæpe diximus, Communem primùm vniuersi corporis euacuationem fieri debere, sed hanc tamen effici dicimus qualibet vena magna, quæ vel in cubito, vel in pedibus secetur. Vbi autem pars quædam corporis inflammatione sit affecta, hanc magnam venam edirectò, & propè ipsam eligimus, vt vicinæ partes, & aliqua ex parte inflammationis locus euacuetur,

tur, & humor reuellatur qui fertur ad inflammationem. Sin verò vnica euacuatione multitudini corporis non videatur satisfactum, iterũ eiusdem venæ sectio repetitur, quæ totum euacuare, & reliqua efficere potest quæ diximus. Sed instat Trincauellius, & inquit, venæ sectionem contra succorum impetũ reniti oportere, vt si ad supernas partes fluant, ad infernas trahantur; minus verò eurandum esse motum, & inclinationem naturæ, quod ipsi tamen Hippocratis consilio fieri diximus. Hic verò fatemur quidem reuulsionem inter sursum, & deorsum fieri posse, idemq; ab Hippocratæ comprobari, licet inter dextri, & sinistri terminos nulla unq̃; reuulsio ab Hippocrate proposita sit; sed tamen ob hanc rationem rectitudo non excluditur; nam si humor sursum motus morbum gignit in capite, qui pharmacum expostulare videatur, per inferna facienda est euacuatio, sin sanguinis missionem præscribat, venam quidem secandam dicimus, sed affectæ parti directam; Quo verò pacto in reuulsionibus naturæ motũ imitemur, iam in VII. Curtij ratione monstratum est; directa enim vena secta maiores primùm venæ, minoresq;, & minimæ simul euacuantur; qui reuellendi modus optimus est, & naturæ etiam motum insequitur, cùm humores sursum repant, & vena cubiti sit, & directa, Neq; obstare potest quod Trincauellius inquit, noxios scilicet naturæ motus nõ esse imitandos, id enim veritatem habet, cùm humores ad gignendam inflammationẽ feruntur, qui dubio procul auertendi sunt; sed tamen nõ qualibet via sunt educendi, sed inde tantum vnde natura motu, & inclinatione quadam euacuationem faciendam edocebit. quo verò pacto directæ venæ sectio reuellendi simul, & euacuandi munus subire posit, IIII. ratione Curtius ostendit, sicuti & illud, alibi reuulsionem simul ac deriuationem vnica venæ sectione fieri posse; quæ cùm antea quoq; à nobis declarata sint, non est quòd hoc loco iterum referantur.

PVTAT deinde Trincauellius venam edirectò sectam reuellere non posse, quod tamen ratio, & Galenus etiam.ij. libro de ratione vict. acut. morb. apertissimè confirmat; In loco etiam Hippocratis intelligendo hallucinatur, cùm libro de natura humana *II. ratio Trinc.*

humana

humana venam longissimè secandam docet, id enim veritatem habet in præseruatione, & affectu non inchoato; nam si cœpisset, distantissimæ venæ nihil ferè à vicinis partibus educerent, quæ demandātium nomen sortiuntur. Ex his enim partibus inflammationis ortus & incrementa dependent, & morbi præterea acuti, citam harum partium euacuationem expostulant; quæ si differatur statim inualescunt, & ægrotantes necant; Hinc igitur factum est, vt Galenus proximam edirectò venam secandam iusserit, pro reuellendis, & educendis ab his locis humoribus, à quibus omne periculum immineree videtur ægrotanti. Hic consultò prætereo quæ sæpe antea hac ipsa de re, & de humoribus ad longissima reuellendis attulimus. Nunc autem Galeni verba ad examen reuocanda sunt, quæ sæpe à nobis declarata minus rectè intelligi videntur à Trincauellio; nam Galenus inquit in libro de curandi rat. per sang. miss. quòd vbi timeamus ne pars quæpiam corporis determinata inflammatione in futurum, vel alio affectu corripiatur, ad affectum præcauendum venam secemus in vere, sed eodem pacto sicut in his qui iam pati cœperunt; quam sententiam, ita enarrauit Curtius, vt venam edirectò cùm timemus affectum secaremus, sicuti facimus, cùm iam affectus inuasit. Occurrit autem huic interpretationi Trincauellius, & Galeni seriem obijcit & exempla. In podagricis enim, vt missa faciã demandatium partium nugamenta, venam cubitorum secamus, tibiarum verò si Melancholiam, comitialem vertiginẽ, cæterosque capitis affectus timeamus; quæ ergo inquit his venarum sectionibus rectitudo seruari potest? Hæc verò exempla nostræ sententiæ non repugnant, nam ea ratione commemorata sunt à Galeno, vt distantissimas indicaret venas quæ morborum præseruationi deseruiunt; neque tamen Curtij interpretatio variatur; nam in morbis capitis qui determinatam dextram vel sinistram sedem non occupant, venæ nondum inchoatis affectibus in tibijs secandæ sunt, & eo pacto sicuti in iam morbo correptis fieri docemur; cùm enim comitialis, vertigo, vel alius id genus affectus inuadunt, ex cubitis sanguis mittitur, neq; ex vno magis, quàm ex altero. Qua ratione

tione

tione si ab eisdem præcauere statuerimus, venæ pedum neq; dextræ magis quàm sinistræ secandæ erunt; atque ita intelligi Galenus debet, qui ad præcauendos affectus venas longius quidem sitas, sed eodem tamen pacto sicuti in iam patiẽtibus proximas, secandas esse consuluit; secantur verò nunc, & vt plurimum edirectò, nunc indifferenter, cùm morbi certam sedem non sunt occupaturi; Quæ verò de Gal. serie, ac de partibus præterea demandantibus afferuntur, partim reiecimus, & paulò post exactius refellemus.

CVM verò inquit scopum medici esse obsistere impetui humorum, quo minus morbi causam augere posit, ideoque demãdantes partes euacuandas esse; rectè sanè inquit, sed aberrat in demandantibus partibus statuendis; ipsi enim paulò supra monstrauimus, vicinas inflãmationi partes certas esse, ac maximè demandantes, quæ cùm repletæ sint, & potissima causa inflammationis incrementi, iure vacuari expostulant per directam venæ sectionem. *III. ratio Trĩc.*

FALLITVR verò sequenti Hippocratis, & Gal. loco, qui reuulsionem longissimam miris efferre laudibus videtur. nam Calcaneorũ morbi nullum furorem nullũq; citæ mortis periculum afferre solent, quo fit si fractura vel alius affectus in calcaneis adfuerit, ipso statim initio humores per vomitum reuellendi sint, & educendi; quàm verò hi affectus à dolore lateris differant, in quo & sanguis mittitur, & ocysimè adhibentur remedia, nemo non videt. *IIII. ratio Trĩc.*

HACTENVS testimonio earum Galeni authoritatum vsus est Trinçauellius, quæ in interpretationibus librorum Hippocratis reperiuntur; alia deinde aggreditur loca, vt suam comprobet opinionem. E'quibus duo potissimum asseueranda opinatur, primùm quòd indicationes à toto sumptæ, eas præcedant, quæ sunt à parte quapiam, deinde quòd humores qui morbi initio vacuandi sunt, longissimè à læsa parte ducãtur. Ipsi verò, quòd attinet ad indicationem, rem infra exactè declarabimus, licet ex his quæ dicta sunt apertè liqueat nos à præceptis Galeni ne latum quidem vnguem discedere. Quòd verò, & qualis quoq; requiratur contrarietas in reuulsionibus

ſæpe diximus, & humorem præterea ad longiſsima reuellendum certis tantùm caſibus conceſsimus, ſicuti cùm præcauendum eſt, ſano adhuc corpore; vel cùm affectus periculo vacat, nec reuulſionem requirit ſimul cũ euacuatione; quemadmodum acuti ſunt, qui citam curationem expoſtulant. Sed hac de re multa extremo libello in II. ſolutione declarata ſunt à Curtio, nec vllibi ſcriptum reperietur à Galeno; longisſimè faciendam in acutis morbis reuulſionem, & ſummatim in his, in quibus ex remedij mora periculum ſolet imminere.

Hic quoq;, ne longiori vtar oratione, præterire ſtatui multa quæ a Trincauellio in Briſſotum dicuntur, qui primus Gal. præceptum de venis edirectò ſecandis, non quidem docuit, ſed literis mandauit. Veniam verò ad eius examen quo Curtij rationem nititur euitare. Et primum quidem dictum Hippocratis II. libro de ratione vi. acut. morb. propriè, ac ſeorſum factam pleuritidem, non verò faciendam reſpicere aſſeuerat; nihilq; officere quo minus exequamur vniuerſalia præcepta, quæ totum corpus, & demandantes partes euacuandas proponunt. Sed hic Hippocratem videtur extorquere, nam in ratione ſanandæ anginæ, quòd ad ſanguinis miſsionem attinet, abſoluta ab Hippocrate curatio reperitur à Galeno etiã confirmata; nec vlla eget additione præceptorum vniuerſalium; anginæ verò lateris dolor aſsimilatur, in miſsione dico ſanguinis edirectò, licet reluctetur Trincauellius, & huic ſententiæ repugnet; Infra verò de indicationum viribus Galeni teſtimonio diſſeremus; oſtendemusq; quàm aberrarint, qui ſecus illum ſenſiſſe opinantur.

Examen rationũ Curtij Trinc.

Alio deinde vtitur argumento cui quidem Curtius, & ipſi etiam occurrimus, non enim vlla præſupponitur ſanguinis miſſio cùm deſcendenti dolore iusſit Hippocrates pharmacum exhiberi; Grauius tamen ferendum eſt quòd Trincauellius ſuam velit ſententiam comprobari ex ijs, quæ alicubi Hippocrates certa methodo atq; ordine literis mandauit. Quid enim prohibet eas approbari ſententias quæ à Galeno confirmantur? aut quæ poteſt eſſe librorum inordinatio, quæ tantorũ authorum fidei teſtimonioq; opponi posſit? Sed et hic ani-

maduertere

maduertere operæpretium est, solam doloris lateris curationem in legitimis libris absolui de ratione vict. acut. morb.: proponuntur enim tempora, quibus & remedia accommodantur. De victus ratione, de aqua, de melle, de oximellite nihil fermè desiderari potest. Quid ergo nouam venæ sectionem machinatur Trincauellius? neque eam approbat quæ in ordinatis, & absolutis libris præcipitur? Hac in re hominum socordiam non possum non mirari, qui indicationum caligine fulgentia Hippocratici dogmatis lumina obscurare tentant; præsertim cùm Galenus in eo interpretando diligentissimus, nihil prorsus Hippocratis orationi addendum censuerit, nisi rectitudinem partis, quam ille fortè vt per se se notam omiserat. Culpandus ergo iure videtur Galenus, si creditur Trincauellio, quippè qui potissimum curationis remedium silentio prætertiisset, cùm tamen alibi profiteatur, se vniuersa absoluisse quæ Hippocrates imperfecta reliquisset.

CONIECTATVR præterea aliquam venæ sectionē ab Hippocrate reticeri, quia fomenta adhibet, quæ tamen vniuersi corporis euacuationem præsupponunt. Quòd verò primum statim remedium fomentum sit, nec aliud supponatur, in his quæ contra Turinum dicta sunt ostendimus. Sed Trincauellium quoq; latere arbitror intentionem Hippocratis, qui plenitudinem tentare, & dolorem alleuare proposuerat; Dignoscitur enim ex fomentis multitudo, quæ si difflari, & digeri per halitum non potest, statim ad locorum inflammationi vicinorum, & ad totius euacuationem transimus secta edirectò vena. Ita enim inaniri possunt partes, quæ admodum repletæ humorem demandant, & augent inflammationem. Quod fecit etiā Hippocrates cùm in Anaxione symptomata intendi, & inualescere morbum cognouisset; ea enim erat corporis multitudo quæ sanguinis missione indigebat; septima igitur die trāsacta, humore adhuc ad augendam inflammationem fluente, directā venam secari iussit. Ex his igitur quæ supra diximus parere arbitror, quàm ij aberrent, qui in curatione hac Hippocratis supponunt morbum esse factum, quorum è numero est Trin-

cauellius, cui tamen apertè notũ esse deberet humores adhuc fluere, & inflammationem augeri, cùm nihil, vel parum pro fitientibus fomentis, ad corporis euacuationem transimus.

SVAM rursus confirmat opinionem ex euacuatione quæ fit secũdum inclinationem naturæ. Defluxi enim humores vel magna vel exigua portione ad aliquas partes impelluntur, vnde euacuati non videtur facta esse reuulsio, quæ ad contraria, & ad longinqua statuitur. Sed aberrat mirum in modum Trincauellius, nam fluentes humores aliquò pelli, & inclinari possunt à natura; Et præterea ostensum est, reuulsiones secundũ naturæ inclinationem fieri posse, Galeni quoq; testimonio, qui directam venæ sectionem reuellere inquit, quæ tamen initio morbi, & secundum naturæ inclinationem adhibetur.

OPPONIT autem Trincauellius nostræ sententiæ Galeni verba, qui II. commentario VI. libri de vulgaribus morbis contra distinguere videtur reuulsionem, & euacuationem secun-
„ dum naturæ motum; nam inquit; Ducenda quidem sunt quò
„ maximè inclinãt, si per conuenientes regiones ferantur, auer-
„ tenda autem, & reuellenda quæ maximè propensionem con-
„ uenientem non habent. Sed hic imaginari non debet succos qui dolorem lateris facturi sunt, non reuelli per vias tentatas à natura, eo quod aliò ducendi sint, si is motus noxius futurus sit, & inconueniens; nam verba illa, auerti debent si propensionem conuenientem non habent, nihil refragantur quo minus cùm rectius mouentur, illos etiam auertamus; quod, & à Curtio dillucidius explicatur.

ALIA deinde vtitur coniectura, nam color sanguinis qui mutatur, euacuari illum indicat ex inflammata parte, sed hoc ipsum alibi reiecimus, cum primo statim die colorem sanguinis mutari posse diximus, non modò in sede inflammata, sed in vicinis illi partibus. Qua de re si color in sanguine mutatur, dici non debet inflammata tantum pars euacuari, cùm eadem mutatio vicinis etiam inanitis partibus contingat. Quàm verò adhuc fallatur, ex eo maximè probari potest, quòd Galenus eam secari iubet venam quæ euacuandi celeriter, & reuellendi vim habeat, vt in parte directa, negat verò Trincauellius

directam

directam venam reuellendi munus subire posse.

ADDVCIT postea locum libri primi de ratione vict. acut. morb. cui quidem satisfecimus cùm aduersus Turinum scribe remus, licet enim in vigore symptomatum venam edirectò secemus, cùm hic vigor statim adest, & totius euacuandi, doloremq; sedandi ante ptisanæ exhibitionem necessitas est, attamē hæc eadem potest venæ sectio ante vigoris accessionem conuenire. Si verò adhibita non esset, adhiberi omninò debet anī cibationem, siue initium, siue incrementum, siue morbi vigor adfuerit; quod animaduertēs Hippocrates non obstante symptomatum vigore corpus euacuandum præcepit. Quid verò facturus est Trincauellius si tribus aut quatuor horis prima statim die hic symptomatum vigor appareat? an ne venam longissimè secabit? cum tamē certa sit vicinarum partium multitudo, & fluere possint humores ad inflammatam partē?

NVNC verò his omissis, ad eas solutiones transeamus quas adhibet ad Curtij fundamenta. In his autem id affertur præcipuū ac ex ortu inflāmationū maximè desumptū, de maiorū et minorū venarum vacuatione, cui occurrit Trincauellius, & inquit, venam quidem directam vicinarum partium humores euacuare, eosq; simul qui affectam particulam obsident; hinc tamen negari inquit non debet, quin ratione succi à toto corpore ad has partes transmissi, sanguis à tibijs, vel ab opposito brachio sit auferendus. Hic verò dicimus, illos à toto defluxus incertos esse, quo fit, vt sanguinis missione ammoueri non possint, & præsertim quia totius plenitudo, & potissima quoq; pars humorū quæ vicina inflammationi loca repleuit, directa venæ sectione vacuari potest. Imminent verò Trincauellio non mediocres angustiæ, si hanc à toto defluxionem tāti faciat; nam si à capite feratur humor ad pectus, per suam venæ sectionem fluxio aduocatur magis quàm auocetur; quod itidem eueniet, cùm à corde vel à superioribus partibus humorum defluxus oriatur. Nos igitur totum celerrimè vacuamus, & loca simul inflammationi proxima, ne affectus augeatur, & remotam hanc Trincauellij fluxionem eodem subsidio prohibemus.

Cùm

Cvm verò ad id incõueniens deduceretur, vt directam sanguinis missionem initio adhibendam concederet, reflectit argumentum in Curtium; Interrogat enim Curtius aduersarios, num succum crudum, an concoctum in parte iam firmatum educãt, cùm venæ sectionem adhibent edirectò? qui necessariò crudũ educere se respondebant; Educebant igitur crudos humores, qui nisi turgentes, & initio morbi euacuari non possunt, vt Hippocrates, & Galenus iusserunt; venæ igitur sectio quæ fit edirectò, initio morbi adhibetur. Inquit verò Trincauellius hanc eandem rationem posse contra nos adduci, qui eandem semper venæ sectionem initio morbi adhibemus; quo fit, vt in pleuritide turgere semper humores videamur fateri, cùm crudi succi vacuari non possint nisi turgeant. Sed hic dicimus, verum omninò esse quod falsum videtur Trincauellio, humores inquam vt plurimũ in dolore lateris turgere, etiam si in plurimis, & infinitis penè affectibus quiescãt; cùm verò duo sint turgendi modi, alter quo humores hinc inde atq; ad nullam determinatam partem agitantur, alter quo ducuntur ad loca euacuationi accommodata, postremus hic frequenter euenit in dolore lateris affectis; ascendit enim vel descendit dolor, & cõuenientes ad humores educendos vias præmonstrat.

Reddit postea Trincauellius ad eadem asseueranda quæ iam multis rationibus reprobauimus, primùm enim ignorare videtur modum ortus inflammationum, cùm initio vrgere indicationem inquit fluxus totius corporis ab inflammatione reuellendi; vnde oppositam in cubito venam secari iubet. Contra verò prius euacuari optant partes, quæ adiacẽt inflammationi; ex his enim defluxio potissimum dependet. Et præterea longè fallitur, cùm fluxos humores esse credit, si supernæ vel infernæ partes in doloris consensum trahantur. Iam enim sæpe hæc à nobis ostensa sunt, & id etiam quod responsioni ad secundam Curtij rationem satisfaciat; ostendimus enim adhiberi posse initio morbi fomenta, & aliquod etiam subsidium plenis corporibus attulisse; vnde fallitur Trincauellius, & quot quot existimant præmissam esse fomentis aliquam venæ sectionem.

Sed

SED tempus est, vt iam edisseramus de curandi indicationibus, quas suo arbitratu videtur Trincauellius effinxisse, & tāquam asylum ad quod confugiat constituisse. Hoc verò potissimum fundamento eius opinio nititur, vt in morbis qui ex humorum defluxu oriuntur, varij aduertantur motus, è quibus variæ quoq; sumantur indicationes. Motuum verò quidam est à distantibus corporis partibus, ad eas quæ inflammationi proximæ sunt; alter ab his ipsis proximis ad inflammationem. Quorum quidem causa in multitudinem, vel prauā humorum qualitatem referenda est, quæ partes ad expulsionem extimulant, hincq; efficiuntur morbi, morborumq; caussæ, pro quibus ammouendis variæ indicationes solent offerri. Distantes.n.partes cū repletæ sint, euacuationē optant; humorū motus ad proximas partes reuelli debet; harumq; ipsarum humor educi, ut ab inflammatione retrahatur. demum qui inflammationem efficit humor, euacuandus est; qui tamē nisi turget concoqui primum debet antequam vacuetur. Hæ igitur indicationes sese offerunt in morbis à defluxu humorum ortis, quorum quidem ordinem animaduertens Trincauellius ita in curatione primas statuit, quæ primæ etiam sunt ortu, vnde vt curatio ordinatim succederet, primùm reuellendum existimauit humorem, qui à toto defluit ad loca inflammationi proxima, qua in re deceptus est admodum, dum ab eo inchoandam esse curationem opinatus est, quod reliquis comparatum causæ nomen obtinet. Hoc enim vniuersæ medicorum scholæ aduersatur, & Galeno potissimum, qui vii. libro de cur. morb. curationis initium statuendum esse docuit hoc pacto, vt ab eo quod magis vrget inciperemus; deinde id aggrederemur quod rationem causæ subit, vel omninò eius sine quo recta curatio non potest adhiberi. Eius verò oratio ita se
„ habet. Pro quibus methodum quam prius de vulneribus
„ tradidimus, vbi omnes affectus simul coniunximus, ad me-
„ moriam reuocabis; quam nunc quoq; apponere non est inuti-
„ le, primùm namq; in eiusmodi complexu æstimabis à quo ma
„ ximè discrimen ægro impendere videatur. Secundo loco
„ quid, quæue ex his causæ rationem obtineant, & quæ ab ip-

sis

sis efficiantur; Tertio quæ sanari ante alia possint, & quæ nõ possint, veluti de vlceribus quæ vnà cum inflammationibus constitêre ostendimus; vbi namq; à quoquam affectuum non leue periculum instat; ad id quod vrget dirigi primum curantis consilium debet; vbi aliud efficiens est, aliud quod ab eo efficitur, ipsa causa spectanda; at vbi curari hoc ante illud non licet; ad id quod ordo dictat est inspiciendum, atq; in eo quidem curationis consilio quod ab vrgente initur, affectus magnitudo perpendenda est. Hæc Galenus quibus exemplum quoq; adiecit paucis interpositis quo rem manifestius intelligeremus nã inquit. Fingatur in ventriculũ defluere ex cerebro superfluũ quẽdã humorẽ frigidũ, atq; eius occasione intẽperiẽ quandam in ventriculo cõtractam iã esse, quin potius malũ iã succum per totum eius corpus, media omnia similarium particularum spatia occupasse. In eiusmodi complicatis, dignatione maior est intemperies, propterea videlicet quòd & ipsa tẽperies; propriæ verò essentiæ ratione quodcunq; vtiq; tale fuerit, per circa propositum in sermone ægrum. Ac ponatur ad præsens maximus triũ affectus esse succorum qui in tunicis ventris continentur. Esto si libet, vt idem quoq; affectus rosionis sensum faciat, atq; ex eo ipso defectum animi, & sudores quosdam, cum symopes dissolutione accersat, ita videlicet vt quatenus supra vires est reliquis sit maior. Constat igitur primam esse adhibendam curationem, vt ei quod vires resoluit occurratur. Deinde quoniam omnium maximũ propriæ essentiæ ratione hoc finximus, vtiq; ad id primùm te verteris, & id primũ sanes. Vbi id mediocriter se habuerit, neq; plurimum vitiosi succi in ventre sit, tum nimirum ad causam accedes; illud pro comperto habens, non posse ad perfectionem vllam affectum sanari manente adhuc ipsa vnde natus est causa.

Ex his igitur Galeni verbis satis aptè constare potest, inter eas quas memorauimus indicationes eam reliquis antecedere, quæ partes inflammationi proximas euacuandas monet; ita enim non modo totius corporis euacuationi cõsulitur, sed & humor reuellitur qui ad inflammationem ruit, & maximum ægrotanti

tanti

affert incommodum .exequatur igitur quot velit euacuationes Trincauellius, modò ab hac incipiat,quæ fit venæ e directò sectione, & caueat præterea à vitæ facultatis imbecillitate . Prima enim curandi ratio à vicinis partibus incipienda est, & à sedando dolore , non verò à remotis partibus, quæ non ita repletæ sunt , & vt plurimum medicos latent. Nihil igitur subsidij Trincauellio afferre possunt tam longè repetitæ indicationes, & nostra curandi ratio natura approbante, & Gal. & Hippocrate consulentibus nititur.

QVO'D verò iterum imaginatur Trincauellius oppositam venæ sectionem præcessisse fomenta , iam satis superq́ue reiecimus; nam. VI. libro aphorismorum curatio ex fomentis tentatiua appellatur, quæ quidem ea ratione ab hippocrate initio statim adhibita sunt vt leniretur dolor, & periculum fieret, num humorum copia ex ipsis difflari posset, an magis ad fortiora vacuandi remedia accedendum esset , ita vel curāt fomenta, vel curationem docent, vt Galenus inquit . Non est igitur quod Trincauellius laboret, vt factitiam inuehat venæ sectionem, sed doloris lateris absoluta curatio ab Hippocrate , & à Galeno tradita est, neq; tanti authores, vt Trincauellius putat, totum rei fundamentum dimiserunt.

CONciliantur deinde duo loca à Trincauellio, quorum sæpe antea mentionem fecimus, nam cùm VI. libro de vulgar. morb. dolorum causa proximos ventres purgandos, & proximas etiam venas secādas moneamur, ne hic locus alteri aduersetur, XIII. lib. de curan. morb. vbi procul reuellendum Galenus inquit ab his, qui pati incipiunt, locis, superiorem sententiam libri de vulgar. morb. in facto iam morbo interpretatur. Quòd verò in faciendo, & initio intelligatur, ex eo maximè aliâs ostēdimus, quòd dolorem sedandum iubet; Alter quoq; locus XIII. libri de curand. morb. Trincauellio non fauet, ibi enim ene dumtaxat euacuationes condemnantur, quæ non reuellūt; sed humores irritant ad affectam partem. Proinde si renes, vel vesica patiatur, docet non esse ea adhibēda, quæ vrinam mouent, menses quoq; euacuandos non esse, si vterus laboret inflammatione, non deijciendam aluum, si idem affectus ventri-

culum, vel inteſtina corripuerit; nulla enim videtur eo pacto adhiberi reuulſio. At in dolore lateris, vt millies dictum eſt, reuellimus & euacuamus, neq; vllam defluxionem ad affectã partem irritamus.

OBIVRGAT præterea Curtium Trincauellius, quaſi dixerit deriuationem reuulſioni præferendam, & ea in re Hippocratis, & Gal. aliquot affert ſententias, quæ Curtij opinionem videntur confutare. Incaſſum verò laborat, nam nusquam à Curtio dici reperiet, præferendam deriuationem reuulſioni, cùm quis vtroq; remedio indigeat; Sed longè ſtrictius locutus eſt, et fieri poſſe inquit, vt urgẽte morbo deriuetur prius humor quàm reuellatur. Si enim exempli gratia, maximus In pleuritide dolor affligat, is prorſus remoueri, vel ſedari debet; quo fit, vt hac neceſsitate vrgente, deriuatio etiam fieri poſſet antequàm reuelleremus; quod Auic. videtur approbaſſe, cùm dolorem loci prius ſedandum conſuluit, quàm ad diuerſum humor traheretur.

SED his omiſsis, ad eas Curtij concluſiones Oratio Trincauellij conuertitur, quæ ꝑ quatuor tempora defluxionem metiuntur; Refellit verò ſecundam, & tertiam, ſecundam quidem, quoniam cùm dixerit Curtius fluxiones, quæ mouentur, nondum tamen aliqua in parte ſuſceptæ, vel etiam quæ fluunt extra corpus reuulſiua euacuatione indigere, vt verbi gratia, cũ ſanguis è naribus erumpit, occurrit Trincauellius, quoniam fluxus fluxu nonnunquam curatus eſt, & vomitus vomitu; & ſanguinis præterea fluxus in vulneribus ab Hippocrate, & à Galeno maximè commendatur. Sed Curtij Oratio in eo fluxu intelligenda eſt, qui curationem expoſcit; omnis enim fluxus nimius ſine dubio reuelli debet. Vomitum verò vomitus curare non poteſt, neq; fluxus fluxum, quatenus eiusmodi ſunt, ſed quatenus educunt humores, qui ad vomitum vel fluxum proritabant.

OCCVRRIT etiã alteri parti, quoniam fieri poteſt vt in morbis acutis mobiles initio ſucci ſint, & turgeant, qui tamen nõ reuellentur, ſed inde educentur quò pelluntur à natura. Hoc verò refellitur, quoniam illa tempora intelligi potiſſimum debent

bent in humoribus, qui ad inflammationem gignendam ruunt, & educi, aut reuelli optant per sanguinis missionem. Humor igitur, qui turget, pharmaco si libet educatur, seruatis vijs, quæ tentantur à natura; non omittatur verò reuulsio, si inflammatio adsit, vel omninò futura sit in quapiam corporis parte.

In tertia quoq; conclusione fatuum esse putat Trincauellius, eãdem venæ sectionem initio competere, cùm paucus est humor, & incremento, & vigori morbi, cùm fluxio iam desijt, & partes distantes inanitæ sunt, quæ initio repletæ, fluxiones vehementius irritabant. Hic verò meminisse oportet eorum, quæ de inflammationum ortu, ac de dolore sæpe retulimus facile enim patebit num proximæ, nũ remotæ partes euacuãdæ sint, & refellentur etiam, quæ de primis indicationibus, & causis afferuntur à Trincauellio. Priapismus etiam, qui ab eo commemoratur, nihil ad nostram disputationem attinebit, quoniam cùm sit absq; inflammatione, & vrgenti dolore, vomitorijs ubsidijs relinqui potest, & reuulsio prætereà ad longissima tam sæpe à nobis vel confutata, vel declarata est, vt noua non egeat oratione.

Mvltis deinde verbis ad suas indicationes tanquam ad sacrã anchoram recurrit, vt Gal. loca euitet quæ adducuntur à Curtio. Sed aperta sunt Galeni verba XIII. libro de curan.
„ morb. nam inquit; Cùm pectus, & pulmo inflammationem
„ pati cœperint, secanda est interna cubiti vena dolentis partis.
Quæ tamen sicco, quod aiunt, pede Trincauellius pertransit.

Aberrat quoq; cùm longa oratione declarare nititur Hippocratis, & Gal. dicta, cùm quidem inquiunt in affectibus supra iecur secandas esse venas brachiorum, sub iecinore verò pedum; occurrit enim Trincauellius quoniam Bubones, podagra, vertigo, & coxendicum dolor, aliaq; permulta, non ea ratione curari videntur; & adhuc aduersatur sibimet ipsi Galenus multis in locis quæ Trincauellius conatur inuicẽ conciliare. Sed hic apertè transit ab internis affectibus ad externos. Qua de re Galeni sententia ita intelligenda est. Vt in internis affectibus supra iecur venas cubitorum secemus, in his, qui infra sunt, tibiarum, sed in vtrisq; rectitudo prorsus serua-

ri debet. Si verò affectus externas partes corripuerit, non ita agendum est, nam dextro brachio inflāmato sinistri vena secanda, ob eam præsertim rationem, quam diximus, quòd in eadem affecta parte venæ secari nequeant, sed in proxima. vtero affecto venæ cubitorum secandæ sunt reuellendi tantùm gratia, tibiarum verò gratia simul reuellendi, & euacuandi. Quæ verò de pharmacis adducuntur, nostræ sententiæ non repugnant, nam euacuationes pharmacorum non sunt neq; ab Hippocratene, q; à Galeno secundum rectum constitutæ. Ita si dolores supra præcordia affecerint, ducere p superiora oportet; si sub præcordijs, per inferiora; id verò intelligi debet si purgatione sit opus; seruari enim debent viæ, quæ tentantur à natura, vt Hippocrates præcepit, à qua ratione reuulsio non excluditur. Si igitur dolor descendit pharmacum exhibet Hippocrates, quoniam natura ad eas partes, quæ infra sunt, inclinat, & dolor afficit infra præcordia, Age verò videamus num à suis indicationibus Trincauellius recedat; putat enim eandem præcisè venam, & inchoāte morbo, & antequam incipiat esse secandam, qua in re à suismet placitis dissentit; cùm enim affectus initio humor adsit in membrana costas subcingente, & magna etiam ex parte in locis illi proximis, indicabunt hæ partes sui vacuationem, quæ, vt Trincauellius fatetur, venæ sectione fit edirectò. Cùm verò nondum affectus incœperit quæ ratio esse potest; vt directa eadem sectio adhibeatur. In summa igitur cùm dolores supra præcordia afficiunt, siue inchoauerint, siue increscant, siue ad vigorem peruenerint, quan do venæ sectione aut pharmaco euacuare propositum est, partem eligemus, è qua vacuantes naturæ motum imitemur; Per superiores igitur partes fiet euacuatio, contrà per inferiores, si reuulsionem maluerimus.

EXEMPLIS præterea sua placita comprobare nititur Trincauellius, primùm q; nonnulla affert de ventriculo malè affecto, quæ nihil ad rem attinent, cùm de venarum sectionibus, non de pharmacis agamus. Adducit deinde Gal. locum de coxendicum affectu, in quo venæ primùm cubitorum, deinde pedum secantur, qua in re videtur reuellere in cubitis, in pedibus

bus verò deriuare.

His adiecit Aëtium, & Paulum, qui hanc eandem ſententiam quaſi expoſitorum vice fungentes apertiſsimè literis mandarunt. Sed Galenus ideo coxendicum inflammatione venas eo pacto ſecat, quoniam qualibet parte magna inflammatione obſeſſa, totum prius euacuari debet, hæc verò totius euacuatio longè melius fit, ſi incubitis, quàm ſi in tibijs venæ ſecentur; vt enim priori ſectione totum melius vacuatur, ita poſteriori euacuatio loci cum aliqua reuulſione fieri debet. Si quis verò pleuritide corripiatur, vna & eadem vena totius, & læſæ partis euacuationi etiam ſatisfacit. Accedit quòd Coxendix non admodum diſtat à medio, iccircò facilè ex vtraq; venæ ſectione iuuari poterit, quod de renibus à Galeno dicebatur; nã cùm ſint verè in medio conſtituti, affectu inchoante venæ ſectionem in cubito præſcribunt, in tibijs verò cùm aliquatenus morbus increuerit. Non igitur Aëtuis neq; Paulus noſtræ ſententiæ repugnant. Sed coxendicum gratia pro totius euacuatione, & aliqua ſimul reuulſione cubitorum venæ ſecãdæ ſunt, pro loci verò euacuatione & aliqua item reuulſione venæ tibiarum.

Sed quoniam euacuatio à læſa parte, quam ipſi initio pleuritidis adhibendã cenſuimus, ea ratione à nobis ſuſcepta eſt, quia pleuritis acutus eſt morbus, qui citam curationem expoſcit, putat Trincauellius noſtram hanc rationem non carere culpa, quaſi reliquos morbos, qui acuti non ſunt, à cita curatione ſecludamus, & dedita opera protrahamus; Putat etiam Galeno decretum peruerti, cùm in affectibus ſupra iecur cubiti venas, ſub ipſo verò, tibiæ non ſecemus. Atq; maximam adhuc adeſſe inquit in acutis morbis defluxionem, quæ citam reuulſionem poſtulet, eſſeq́; authores fide dignos, qui in vteri paſſionibus hanc eandem rem eius more ſunt interpretati. Hic verò fatemur quidem acutos morbos proximas eſſe ſecãdas venas cõmonefacere, ſed tamen addere hic oportet in lateris dolore, in Iecinoris, ventriculi, pulmonis, lienisq́; inflammatione vnica venæ ſectione, & totum corpus, & læſam partem vacuari, quod nequaquã in coxendi cum affectu fieri poteſt.

In

In affectibus igitur supra præcordia cùm à læso loco ducere velimus, venæ brachiorum secandæ sunt, cumq; eadem occurrat intentio, læsæ inquam partis euacuandæ, & affectus sub præcordijs infestet, venas pedum secamus; quod decretum æternæ veritatis sancitur, & nulli medicinæ dogmati aduersatur. Patet igitur ratio cur in acutis morbis magis quàm in reliquis proximas primùm venas secamus, nam ad læsæ partis, & totius euacuationem faciendam aptissimæ sunt. Hac eadem ratione. In renum, vteri, vesicæ, ac coxendicum affectibus, cubitorum venæ pro totius euacuatione secabuntur, pedum verò ꝓ læsæ partis; quod & Paulus, & Aëtius & Auicenna, & reliqui consentiunt, licet hoc de renibus tantùm apertè dictum videatur à Galeno.

IAM verò ad interpretationem verbi κατ᾽ ἴξιν Trincauellius pertransit, cuius rationem ad quaslibet situs differẽtias aptari posse credit, non verò ad solam corporis longitudinem, vt Curtius existimauit, & oraculi vice supposuit. Quæ verò hac in re adducuntur authoritates, nullo pacto nobis aduersantur. Siquidem de euacuationibus loquimur, quas cum Hippocrates & Galenus κατ᾽ ἴξιν faciendas monent, secũdum eandem dextram, vel sinistram partem intelligunt. Si verò alia quapiam de re loquantur, nihil prohibet quæcunq; aliqua situs differentia directa sunt, sita secundum rectitudinem appellare; lintea enim vlcerum positiones corporis, luxationes, & eiusmodi reliqua, quæ ab euacuationibus differunt, directa appelles, si libet, secundum quamq; situs differentiam; hoc enim ex locis aliquot à Trincauellio conuincitur; quæ loca alia de re loquuntur, non de venarum sectione. cum enim secare venam secundum rectitudinem mouemur, intelligere oportet ab eadẽ qua dolor afficit parte, vt Galenus exposuit IIII. libro de ratione vict. acu. morb. sin verò Trincauellij placita sequamur, in lateris dolore sinistro tã dextra vena, quàm sinistra directa erit; Neq; obstant illæ venarum sectiones, quæ, & ab Hippocrate & à Galeno secundum rectitudinem factæ non sunt, nam non dicimus venas κατ᾽ ἴξιν semper esse secandas, neq; id ab Hippocrate aut à Galeno dictum reperietur, sed hoc tantum, di-

rectas sectiones iuuamentum maius, & celerius afferre non directis alioquin non posset excusari Galenus, qui & ante, & retro, intus, & extra per dextrum etiam, & sinistrum reuulsiones fieri asseuerauit, quas si contendas esse directas, nulla magis, quàm reliqua directa erit. Sed hac de re nõnulla à Curtio dicta sunt in Auicennæ concordia, & dicetur etiam à nobis, cùm aduersus Vesalium disseremus.

RVRSVS duabus authoritatibus quæ à Curtio adductæ sunt Trincauellius respondet, quarum postremam tertij libri artis medicinalis exactè Curtius declarauit; Priorem verò lib. de artis medic. constit. ita putat Trincauellius intelligendam, vt de fluxo tantum humore Galenus loquatur, cui interpretationi græca etiam verba existimat adstipulari. Sed fallitur, nã Galenus eo loco artem constituit curandarum inflammationũ, quæ manca prorsus esset, si influxis tantùm humoribus intelligeretur, neq; etiam verba Galeni Trincauellio fauere possunt, etiam si id participium καταῤῥυέντας præteritum tempus denotaret, quemadmodum apparet primo libro de med. cõposit. secundum locos. Quid enim prohibet humorem defluxisse, aliumq́; rursus ad eundem locum defluere?

ANGINAM præterea adducit in medium Trincauellius, eãq́; & suis indicationibus subiacere indicat, & constanter asseuerat ab humore tantũ, qui à cerebro, & à capite fluat generari, quo posito, iam putat nr̃am refelli sentẽtiã, cùm diximus in angina venæ directæ cubiti sectionem in contrarium reuellere. Sed dicimus eandem prorsus esse, & propositæ angine curationem, & eiusquoq;, quæ ab humore ab infernis partibus demandato orietur. Quòd si Hippocrates, & Galenus anginam fieri dicant, ex cerebri, & capitis ad faucium partes defluxione, non ideo negant, quin illa nonnumq̃; secus oriatur, quod & Trincauellius concessit, cùm aliam curationem anginæ censet adhibendam, quæ fluore muliebri retento sit oborta; In angina igitur vndecunq; fuerit defluxio, humoralem venã edirectò secamus, vt totum caput & læsa pars euacuetur, quod à nemine sanæ mentis negari poterit. In quacunq; etiam corporis parte dolor lateris contingat, illi medemur copiosa sanguinis

edirectò

edirectò misſione, dicere verò venæ humeralis ſectione in angina non reuellere, hominis eſt, qui veram reuellendi rationem ignoret; quæ vt ſæpe diximus, ea ad contrarium motus tractione conſiſtit, quæ fit à paruis venis ad magnas; quæ ratio cùm in angina, & in dolore lateris conſpiciatur, quis ibit inficias quin directa ſectione in his affectibus reuellamus? & ſuccos in prioris motus contrarium ducamus? Hoc enim dictum eſt, & in ſectione venæ frontis, quæ hac tantum quam diximus ratione reuellit. Neq; ipſi ſolam quærimus reuulſionem, ſed totius ſimul, & læſæ partis euacuationem, in his morbis qui non præbent inducias; Proinde ipſa etiam pedis vena patiente vtero reuellere dicetur, cùm hanc eandem tractionem è paruis ad maiores venas efficiat. Sin verò menſes excitet, id continget ex obſtructionum vteri remotione, & ſuauem motionem ſanguinis ſuperiorum partium, qui vterum verſus ducetur.

TANDEM Galeni adducit authoritates. xiij. libro de curand. morb. cum iecinoris inflamationem venæ ſectione curandam docet; ait verò defluxos iam eſſe humores, ſicuti & in dolore lateris cùm vena edirectò ſecatur, neque directam ſectionem alia de cauſa iecinori opitulari, niſi quia à corde humorem ducit, qui ab eo ad iecur defluebat; Etenim maxima, inquit, propellendi facultas viget in corde. Quod Hippocrates animaduertiſſe videtur, cùm pharmacum exhibendum dolore deſcendente conſuluit; quippe cor vehementer trahit, ſibiq́ue plenitudinem acquirit, quam poſtea læſis partibus impartitur. Hæc in ſumma ſunt quæ Trincauellius hoc affert loco. Cui quidem Galeni verba apertè aduerſantur, cùm directæ venæ ſectionem, ideo in pleuritide adhibendam iuſsit, vt magis, & citius reuelleret, & euacuaret, & non quidem à læſa parte (ēt ſi id fieri poſsit) ſed à proximis & adiacentibus quæ maximè humoribus refertæ ſunt. Hac ratione tandem venæ ſectionem iecinore patiente eligemus, quæ & ſi non æque ducere videatur in iecinoris affectu vt in pleuritide partium ſuperiorum, quia cor inter brachium & iecur interiacet, attamen ſuſcipi debet Hippocratis, & Galeni conſilio, qui eam ea ratione

ne

me adhibendam inquiunt, quod inter reliquas corporis venas euacuare & reuellere celerius potest. Esset etiam pharmacum hoc tempore fortassis exhibendum, nisi humorum transitum per ipsam affectam partē timeremus, vnde consultius factū est, cū venam ꝓpiorem directioremq; secandā diximus. Hic verò afferri non debent repletarū, et impellentiū particularum inditia, quæ Trincauellius tantifacit, nam si ēt suppressi sint menses, & iecur laboret inflammatione, eadem curandi ratio seruari debet, neq; vena pedis est eligenda, sed cubiti, & directa; quærimus.n.totius corporis euacuationē, simulq; reuulsionē cum euacuatione à læsa parte, quæ promptè, & celeriter, secta in cubito, & edirectò vena fieri possunt. Ea verò ratio quæ à corde humorem demandante suscepta est, retorqueri potest in Trincauellium; Cū.n.ita ad pleuritidē, sicuti ad iecur fluxio à corde transmitti possit, iure directā venæ sectionem eligemus, quæ nos ab eodem imminēti malo in vtrisque affectibus tutos reddet.

ALIA deinde ratione dogma suum defluxis humoribus comprobare nititur Trincauellius, quoniam Galenus ideo directam venam in pleuritide secari iussit, quia maximè & celerrimè sanguinem educit à læsa parte; Quare inquit defluxus omninò erit humor ad læsam partem, non verò fluēs, & morbi initium videbitur præteriisse. Addit obiter in hac eadem sententia Archigenem, & Aëtium fuisse, vt.s.inchoante morbo vena ab opposita parte secanda sit. Primū verò in adducēdis Gal. verbis fide caret, prætermittit.n.verbū reuellit, quod suā destruit opinionem, et in Græcis & latinis, & barbaris codicibus legitur; nam Gal.inqt venam edirectò secandam esse, quia celerrimè sanguinem à læsa parte educit & reuellit. Ergo non defluxorum tantùm, sed fluentium quoq; humorum medela erit. Quæ verò ex Archigenis sententia inquit, omitti debent, præsertim quòd Aëtius qui alicubi prauam Archigenis opinionem adduxit. XII. capite libri III. ex Galeni authoritate venam edirectò inquit in dolore lateris secandam esse; At verò neq; vlla ratio afferri pōt, cur reuulsiua sanguinis missio in iecinoris inflammatione, non verò in pleuritide præci-

platur; neque item, cur in priori affectu humor fluat, in pleuritide fluxerit; Neque etiam cur ibi nulla sanguinis missio, hic verò aliqua præsupponatur. Accedit Galeni locus XIII. libro de Curand. morb. qui apertè affectu inchoante venam ex affecta parte secari iubet.

COLORIS verò in sanguine mutatio, quam in dolore lateris non autem in Iecoris inflammatione expectamus Trincauellio fauere nequit; nã non æque euacuare possumus à iecinore, vt à pleuritidis loco, & à partibus illi proximis. Quòd si vena Iecinori vicinior quàm directa cubiti, secari posset, eadẽ quoq; mutatio coloris expectaretur.

TEMPVS est vt Respõsionibus occuramus quas Trincauellius adhibuit ad Curtij rationes; Primùm verò summatim concedit in dolore descendenti sanguinis missionem edirectò adhibendam, seruatur enim inquit hoc pacto rectitudo, non autẽ cùm opposita secatur vena, quæ cùm dolor ascendit eligi debet, vt à se prius ostensum esse putat. Hoc eodem casu venæ in pede sectio neglilgi etiam non debet, sed optimè inquit cõducet, cùm repletæ fuerint infernæ partes. Sed neminem latere opinor quàm hic aberret à recta ratione. Nam si descendens dolor venæ sectionem exposceret, reuellere se Trincauellius existimaret, si directam in brachio venam secaret, idq; ea ratione quã supra cũ de Iecinore loqueremur reiecimus, quòd cor in medio positum sit, qui fluxionem transmittit, vnde hoc casu reuulsio fieri videretur, neq; vlla sanguinis missio præcessisset. Cur igitur in superiorũ costarum inflammatione, vel in dolore qui ascendit, aliam venæ sectionem p̃cessisse opinatur? atq; cur figmentum hoc à nemine probatæ doctrinæ medico excogitatum, omnium sententijs adnectitur? Iam ne in affectu superiorum costarum, & in dolore qui ascendit cor nõ trahet? Non repletum erit? Non propellet? Sicuti inferioribus costis patientibus opinatur?

CVM verò secundo loco rationem habendam suadet fluxionũ remotarum, quæ manifestis inditijs dignosci queunt; fallitur, si negligi à nobis eas fluxiones existimat. Curantur enim quãtum licet, cùm & totum corpus, & vicinas affecto loco partes

venæ

venæ edirectò sectione vacuamus; Qui verò ægrotantium curationibus interfuere, ꝓbè sciũt nũ certis indicijs, an obscura coniectura remotæ defluxiones intelligantur, quæ si etiam paterent, non esset ab eis inchoanda curatio, sed magis occurrendum esset ligaturis, frictionibus, & id genus remedijs, quæ ad longissimè reuellendum sunt accommodata.

TERTIO loco vt Curtij rationẽ effugiat, fateri cogitur Trincauellius oppositi brachij venam directam esse, & à coniugatis euacuantem, à quibus nonnunquam Gal. monuit & reuellẽdum, & deriuandum esse. Sed quàm distet à rectitudine oppositi brachij sectio, iam sæpe à nobis indicatum est, & infra certius ostendetur. Vacuatio verò à coniugatis in ijs morbis à Galeno constituitur, in quibus rectitudo seruari nequit, vt cùm extrema quapiam parte patiente, quia in eadem affecta venam secare prohibemur, coniunctæ, & iugatæ partis vena secatur.

RVRSVS inquit humores qui fluunt ad læsam partẽ trahi vena edirectò secta, quod ante à nobis reiectum est, cùm de humoris successione paruarum, & magnarũ venarũ loqueremur.

IN quinta verò responsione Communes sanguinis mittendi rationes variari quandoq; asserit, veluti si à capite ad pectus humor descenderet, non interna vena, sed humeralis secanda esset. Sed tamen communis ratio tam leui de causa non esset varianda; Ideo si lateris dolor occuparet, interna semper vena secaretur, non verò humeralis, quæ licet aliquam repletam partem euacuet, reuellẽtis tamen rationem nõ est adepta.

NIHIL ad rem facit quod sexto loco commemorat, nam casu posito quòd humor à dextra parte capitis ad pleuritidis locum feratur, cunctis medicis aduersaretur Trincauellius, si humeralem dextram secaret, quod omnes qui Curtij rationes viderint, quas hic vir mancas facit, nouisse possunt.

RELIQVA etiã nullius esse momenti inde patere potest, quòd humores qui vicinas ad partes defluxi sunt, & rursus hinc ad inflammationem fluunt, per nostram venæ sectionem educantur, quæ, & celerius educit, & per vias à natura præmõstratas. Omittit verò, Auic. Trincauellius, qui aduersus suam

ſententiam interpretari poteſt.

Sed iam ad reliqua properemus, quæ breuibus ideo tractētur, quòd ex his quæ antea diximus refelli poſſunt. Primùm verò ad remotarum & impellentium partium indicationes refugit, quas tamen, non tanti faciendas à medicis diximus, quia curationis initium non ab his, ſed ab eo quod magis vrget eſt aſſumendum. Adde quòd totum corpus, & illæ etiam partes euacuari poſſunt, copioſa ſanguinis edirectò miſsione, & eodē remedio vniuerſa quoq; defluxio ab inflammata parte reuelletur; non igitur quæri debet vena remotior, vt & ante diximus cùm de reuulſione longiſsima loqueremur.

Qvaerit verò Trincauellius, ſi ante ſectionem venæ frontis, quæ occipite patiente ſecari ſolet, aliqua in brachio venæ ſectio præceſsit, cur noſtram venæ ſectionem reuellentē, vt diximus, & euacuantē, alia itē oppoſita nō præcedet? Reſpondemus eius rei hanc eſſe reddendā rationē, qm̄ vena in fronte ſecta totius euacuationi nō ſatisfacimus, ſicuti cùm in brachijs venæ ſecantur, iccirco ſi vrgens inflammatio adfuerit, totū corpus euacuamus.

Addvcit præterea diſsidentes inter ſe quaſdam ſententias, quæ cōciliari inuicē, aut omninò refelli à Curtio debuiſſent. Fallitur verò ſi id offitij neglectū fuiſſe opinatur; oſtenſum.n. eſt, cur vena in eodē affecto crure non ſecetur. Et in Gal. & Auicēnæ cōcordia rō reddita eſt, cur nunc in pede, nunc in cubito venā ſecamus. De vena verò frontis paulò ante locuti ſumus, cū totius euacuationē, eas quæ per venā in læſa parte ſectam fiunt, præcedere debere diceremus. Multa tandē affert Trincauellius de ſectionibus venarū quæ adhibentur vtero, & coxa laborantibus; videtur verò rōnem ignorare cur nō vnicam hic venæ ſectionē, ſed plures adhibeamus. Atqui hi affectus longè inuicē diſsident, nā vena pedū ſecta in coxæ affectibus, ſanguinē aduocat in læſam partē, quæ eadē reuellit ſi vterus afficiatur; Quicquid.n. ſanguinis ad tibiam vel ad coxā defertur, ꝑ magnā deducitur venā, quæ propagines ad vterū mittit, icircò ſanguis illarū propaginū in maiorē venæ truncium regreditur, & reuulſiua fit euacuatio, ſi vterus patiatur.

Idem

Idem verò in coxa patiente non contingit, ideo totũ prius eua cuandũ est, vt in bubone, deinde in poplite vena secari debet, quæ nõ ita proptè vniuersum corpus euacuat, vt faciunt venæ cubitorũ. Ex his igitur angustijs eripere se alia ratione debuisset Trincauellius, quàm indicationũ cõmemoratione, quas tñ & Gal. verbis, & ex ipsa indicationũ natura reiecimus, cũ ostendimus & ab eo quod magis vrget inchoandã esse curationem, & melius multo nobiscũ agi, si totius corporis euacuatio non omittatur.

ADVERSVS ANDREAM *VESALIVM.*

NVNC ad Vesalium atq; ad instituti operis finẽ nostra properat oratio; vnica verò disceptatio reliqua est, quo inquam pacto in venarũ sectione rectitudo intelligatur, quã ex vilis & fibris vniuersam pendere præclarus hic vir est opinatus; Qua in re adeo dissidet ab Hippocratis & Gal. placitis, vt nihil certius ex eorũ libris afferri possit, quàm hæc eadẽ â nobis suscepta rectitudinis ratio; quod cũ sæpe & publicè & priuatim Curtius narrauerit, hic afferre vniuersa dignũ duxi, quæ nostrum hoc dogma videntur approbare.

NVLLA igitur venarũ sectio, nullus humorũ motus, qui inter dextrã & sinistrã partẽ fiat, quiq; dextri & sinistri terminis claudatur, factus dicitur secundũ rectitudinẽ ab Hippocrate vel â Gal. qui eas tm̃ euacuationes κατ' ἴξιν & κατ' εὐθὺ, idest secundũ rectitudinẽ fieri existimarunt, quæ fiunt secundũ eandem partem dextrã vel sinistrã. Hæc verò satis apertè Vesalij sententiæ repugnant, quæ multis Hippocr. & Gal. locis comprobari possunt. Primũ verò ea Hippocratis oratione. iiij. libri
„ de rat. vic. acut. morb. cũ inquit; Mittatur sanguis secundũ re
„ ctitudinẽ. Quod exponens Gal. ait. Vnum hic addit quod in
„ parte legitima omiserat, vt sanguis secundũ rectitudinẽ mit-
„ tatur, idest ab ea qua dolor afficit parte. Rectitudo igitur secundum partem, non secundum fibras intelligitur.

IDEM confirmatur ex loco. xiij. libri de curand. morb. Cùm

Galenus

Galenus dextrã venam patiente iecinore, ſiniſtrã patiente liene ſecari præcipit, quoniã ſunt edirectò, & in vniuerſum pectore, pulmone, corde cæteriſq; affectis quæ ibi enumerantur, venas ſtatuit ſecundũ rectitudinẽ perpetuo ſecãdas eſſe, quòd ſi in fibrarũ ratione rectitudo contineretur, non dextra magis quàm ſiniſtra iecinore affecto ſecari poſſet, præſertim quòd vtrequæ ampla via cũ vena caua coniunguntur.

Sed dicat Veſalius, ſi Iecur in caua parte inflammatione correptum eſſet, quã venã exiſtimet eſſe ſecandã? nã ſi Galeno & cæteris medicis credit, axillarẽ dextrã dicet; Axillaris verò deriuat à caua, cùm igitur ad iecinoris concauũ caua vena non pertingat, quî fieri poterit, vt Axillaris venæ ſectio fibrarum ſocietate directa ſit?

Age verò poſteaquã medicorum placita vidimus, rectitudinẽ ſpectemus quæ natura operante ſeruari ſolet; cũ.n.natura aliquid expellere nititur, hoc ipſum agit tranſuerſis fibris, nõ rectis, expellit verò ſemper edirectò, ergo directæ expulſiones à rectis fibris factæ non ſunt.

Accedit Hippocratis & Galeni locus.ij.parte.vi.lib.de vulgar.mor. vbi Hippocrates inquit. „ Dolor lateris, præcordiorũ „ tumor, fluxus ſanguinis nariũ fieri debet κατ' ἴξιν, alioquin eorũ „ mutatio nihil iuuaret. Inde quærit an euacuationes quæ fiunt à ſurſum in deorſum debeãt eſſe κατ' ἴξιν? Reſpõdet hoc vtiq; in angina fieri debere, ſubiũgit: an verò ſurſum, vel deorſum mutationes à iecinore ſecundũ rectitudinẽ fiunt? atq; ad hoc quaſi dubius non reſpondet. Galenus verò exẽplis rem apertè monſtrat, inquit.n.ſi mania per tibiarũ varices terminetur, nos nequaquam ſcire poſſe an hæc mutatio directa ſit, cùm latus determinatum in quo mania conſiſtit ignoremus; idem de tuſsi aſſeuerandũ qñ in aliũ morbũ permutatur; cũ.n.neſciamus determinatũ latus in quo tuſsis cõſiſtat, ignoratur neceſſariò in permutatione rectitudo. Ignoratur ẽt ſi qui morbi mẽſium vel hæmorrhoidarum fluxione ſoluti ſint, quando dextros mẽſes vel ſiniſtros, & dextras vel ſiniſtras hæmorrhoidas intelligere nequeamus. Rectitudinis igiť ignoratio, ex morbis pendet, qui nec dextrã nec ſiniſtrã quidem partẽ, ſed vel nul-

lam, vel vtrãq; corripiunt; sciri verò poterit edirectò facta esse morbi mutatio, si aliquod determinatũ latus prius occupauerit, & postea inuaserit, vt si iecur inflãmatum sit, & per sanguinis è naribus fluxionẽ soluatur, erit è dextra nare, nõ verò è sinistra defluxio; contrà erit è sinistra, si lienis morbus ea ratione terminetur. Hic igitur vniuersa ratio rectitudinis cõstituit eadẽ determinata dextra, vel sinistra parte.

EADEM ratione rectitudo in renibus declarata est V. libro de vsu partium, cùm quærens Gal. cur dextri renis situs altior sit, & eleuatior quã sinistri; respondet, hoc ideo esse, quia dexter edirectò iecinoris est; didicimus autem ab Hippocrate, quæ alicui parti directa sunt vehementius ac celerius ab ea trahere. Hic igit̃ rectitudinis ratio è situ in eadẽ parte dextra desumitur, non è fibris, quæ ita in sinistro rene sicuti in dextro feruntur.

IN testium quoq; natura declaranda eadem ratione vsus est Gal. XIIII. libro de vsu partium, capite. vij.; inquit enim testem sinistrũ frigidiorem esse dextro, quoniam frigidiore vtitur alimento, atq; si idem esset amborum nutrimentum, adhuc intensior in dextro calor esset, quoniã edirectò iecinoris est, quæ verò inuicẽ edirectò sunt, seipsis magis fruuntur, vt ex Hippocratis sententia constare potest; fibræ etiam testium eodem pacto disponuntur, sicuti in renibus. Ex fibris igitur non est sumenda rectitudo.

SED & in neruis oculorum qui visorij dicuntur eadẽ rectitudinis ratio suscipitur à Gal., X. enim libro de vsu partiũ quærens cur horum neruorum initium non sit cum fine κατ' ἴξιν per, κατ' ἴξιν intelligit in eadẽ dextra parte, vel sinistra; nam qui oritur in dextra parte in sinistram terminatur, qui in sinistra in dextram, adeo vt figuram *x*. literæ similem constituant, neq; κατ' ἴξιν ponantur; Refelluntur autem eo loco quidam, qui hoc ideo factum dicebant, vt vnius partis nocumenta, facilius alteri communia fieri possent, vnde partitum damnum minus molestiæ afferret, his enim aduersatur ipsa natura quæ potissimum duplices effecit partes, vt aliqua patiente, incolumis altera permaneret.

ACCEDIT quòd idem Galenus extremo primo libro de lo-

cis

cis affectis, aliqua parte ſpinæ patiẽte, reliquas inquit pati partes, quæ illi edirecto ſunt, quæ verò nõ edirectò ſunt incolumes permanere, quæ vt & ſuperiora loca noſtræ ſententiæ apertè fauent, cùm Hippocratem, & Galenum diximus non aliud eſſe rectitudinem in conſtitutione partium corporis, & in miſsione ſanguinis exiſtimaſſe, quàm eiuſdem dextræ vel ſiniſtræ partis ſocietatem; Dextra enim pars cum eadẽ dextra, & ſiniſtra cum ſiniſtra communicat, vt Galenus inquit; cuius ratio partim ſumi poteſt ex conſenſu quodam naturæ, qui in morborum indicationibus apparet; partim ex paruis quibuſdã meatibus, qui capillorum more inter venas & venas diſpoſiti ſunt, ſicuti inter arterias, & venas, qui quidem longè magis partium conſenſum efficiunt, quàm venarum maiorũ, & fibrarum etiam diſpoſitio. Cùm verò in euacuationibus quæ à natura tentantur ſeruata rectitudo ſalutem afferat, obſit autem euacuatio quæ ad diuerſum latus erumpit, hæc etiam ratio in noſtris operibus ſeruari debet, Hippocrate preſertim III. „ parte primi prorrhetici idem his verbis teſtãte; Sanguinis ad la„ tus diuerſum eruptiones malæ, vt ſi cùm lien magnus fuerit „ dextra ex nare fluat, atq; res in hypochondrijs ita habet. In cuius loci interpretatione ſtatim inquit Gal. ſi quid aliud ſæpius contingere vidit, ita & hoc vidiſſe, ſcilicet directas eruptiones iuuare, & obeſſe non directas. Sed & primo libro ad Glauconem cùm de fluxu ſanguinis narium reuellendo verba faceret, eandem rectitudinis rationem ſeruari præcepit, vt ſi è dextra nare ſanguis flueret, cucurbitula hæpati apponeretur; ſi ex ſiniſtra, lieni; in cuius loci interpretatione. Stephanus Athenienſis cognomento philoſophus, qui hũc librum græce interpretatus eſt, ita ait.

„ Quærendum eſt quare ſanguis qui à dextra vel à ſiniſtra nare
„ exit, ſi à dextra fluat iecoris eſſe dicatur, ſi à ſiniſtra lienis; vni-
„ uerſæ enim quæ ſanguinem ferunt venæ à iecore oriũtur, neq;
„ duæ à cerebro vt quidam putabant ferũtur, quod ex diſſectio-
„ nibus redarguitur. Quo pacto igitur dicimus ſanguinem ferri
„ ſecundum rectitudinem, & proceſsionem ideſt κατ' ἴξιν, vt
„ Hippocrates inquit? non enim videmus è iecore venam ſe-

cũdum

cundum rectitudinem mitti ad dextram narem, ſed ramuſculi quidam ſunt & propagines, quibus particulæ omnes dextri lateris fruuntur. Hoc igitur in hunc modum ſoluemus. Scire oportet tribus quibuſdam vt ſæpe diximus, corpus noſtrum cōſtare, ſolidis dico, humidis, & ſpiritibus; atq; ex his naturā corpus totum compoſuiſſe, & ipſum bipartitò ſecuiſſe, quaſi linea quadam duas partes ſeparante, ſicuti in labro, & in eo pectoris oſſe, quod ſternon dicitur, apparet. Hoc autem ideo factū à natura, ne totū corpus ſimul pateretur, dum altera pars eſt affecta; ac ne ex oſtenſa actione partis alterius, totius corporis actio læderetur. Hoc enim fieri videmus in ſemipercusſis, reſolutis enim plerunq; ſiniſtris partibus, dextræ ſanæ ſunt, & econtrà. Hæc igitur tria, ſolida inquam, humida, & ſpiritus mutuo ſeſe afficiunt, & vno moto reliqua mouentur, quod Hippocrates dicebat cū ait, Conſpiratio vna, confluxio vna, & omnia compatibilia ſunt, mutuoq; afficiuntur. In ſpiritibus quidem conſpirationem ſumpſit; in humoribus confluxionem; in ſolidis sympatheam. Et vnam conſpirationem confluxionemq; dextrorum ad dextra, ſiniſtrorum ad ſiniſtra. Quoniam verò didicimus in noſtro corpore eſſe ſpiritum, ſcire oportet quo pacto in omni inſit particula corporis; nullamq; eſſe, quæ ſpiritu non ſit particeps. Sed per carnem, & per os permeat, cùm ſit partium ita tenuisſimarum, vt nil ipſi inuium ſit. Permeans igitur per omnia ſibi ipſi continuus eſt, & is quidem qui in dextra parte eſt, illi qui eſt in dextera; ille verò qui in ſiniſtra, ei qui in ſiniſtra eſt. Cùm igitur in liene eſt affectio, vis eius excretoria inſurgit ad noxium expellendum, ac in ſe ipſum lien cogitur, & veluti contrahitur, ita enim vis excretoria agere ſolet; dum verò cogitur mouetur, dum mouetur, vnà etiam mouetur ſpiritus, qui partium tenuium eſt, & ſuperiorem lationem appetit, & inſequitur; atq; tum per vaſa, tum per meatus occultos proficiſcitur, dumq; fertur vas dilatat. Deinde cùm ſiniſtras cerebri petiјt partes, narem ſiniſtram latiorem raramq; facit, & paratiorem, vt ex ea ſanguis erumpat. Succus igitur qui pellitur qui lienis excretoria retrogreditur ad iecur, deinde vis iecoris quæ ipſum ferre nequit, expellit, ille verò ſurſum per venas tēdit,

„ & dum caput petijt, narem sinistram apertam inuenit, per quam
„ expellitur. Ita etiam se res hēt in iecore; cùm enim afficitur, spi-
„ ritus qui in ipso est, mouetur, & ad superiora fertur, dextram
„ narem sibiipsi præparat. Qui igitur sanguinis fluxum per nares
„ reuellere voluerit, si è dextra nare fluat, iecori; si ex sinistra lieni;
„ si ex ambabus, apponet etiam ambobus visceribus cucurbitulas;
„ nam spiritus dum transfertur ex superioribus ad inferiora, succos
„ secum commouet, & ob id euacuationem quæ per nares fiebat,
„ prohibet.

Ex his satis superq; opinor patere potest, quo pacto Hippocrates & Galenus rectitudinem intellexerint, sed quoniam alia quædam Gal. dicta Vesalius ad examen reuocauit, satius fuerit tantum authorem, ab obiectis erroribus vindicare. Cùm igitur dixisset Galenus, sanguinis missionem dolore descendente ab Hippocrate non cōmendari, quoniam cor per venam cauam illi quam secamus adnectitur, & sua attractione quæ maxima est, sanguinis motum impediret, argumētatur Vesalius ex venæ sine pari vocatæ delineatione, quæ non à corde statim, sed aliquanto altius oritur, quare inquit, non poterit sanguinis motus qui per ipsam fertur à Corde impediri. Hic verò fateor eam venam parum supra cor oriri, quod secante Vesalio superiore anno Bononiæ conspeximus, sed tamen siue hic venæ ortus supra cor parum, siue cum ipso sit corde, adhuc sanguinis motum & retardari, & impediri posse contendimus. Maxima enim omninò est cordis attractio, siue naturam, siue calorem, siue ēt vacui necessitatem spectemus; Quid igitur parum eleuatior venæ ortus efficiet, vt maxima illa vis cordis attrahentis impediatur? Quòd si Vesalius dicat dolore etiam ascēdente idem à corde impedimentum præstari, dicam fieri id non posse, ea ratione quòd motui & inclinationi naturæ, neq; cor, neq; alia vlla pars aduersatur. Ita si in inferioribus costis humor esset qui à natura ad altiores pelleretur, adhuc sanguinis missionem exposceret, quoniā naturæ motus aduersam non habent cordis attractionem.

Si verò iecur, ventriculus, lien & reliqua inferna viscera inflammatione afficerentur, neq; natura ad superiora sanguinem pelleret, num & hic extimescenda esset cordis attractio? atq; num ve

næ

næ brachij sectio competere non posset? Hic dicimus adhuc internam, & edirectò in cubito secandam venam, quoniam nulla propior reperitur; Cogimur igitur eam secare, etiam si nihil educeret à læsa parte; non.n. pharmacũ his affectis visceribus exhiberi potest, neq; præterea adeo vrgent hi morbi, vt citam partis inanitionem, quod quidam faciunt, expostulent.

SED videtur dubiũ Vesalio, num pleuritidis nomine vniuersi ab Hippocrate intelligantur dolores, qui inter iugulum, & ossa iliũ contingunt; Qua in re Hippocratis dicta nimis aperta sunt, & nemo non nouit nihil apud Hippocratem pleuritidis nomine significari, nisi membranæ costas subcingentis inflammationem. In libris enim de ratione vict. acut. morb. sputum inspiciendum censet, vt huiusmodi tempora distinguamus, sputum verò in plerisq; doloribus à Vesalio cõmemoratis nullam eiusmodi habet significationem; Sed & XII. aphorismo primi libri citam quidẽ sputi apparitionem breuem efficere pleuritidem scriptũ reliquit, tardam verò longiorem. Et præterea si iecinoris inflãmatio ventriculi, & reliquorum pleuritidis nomine ab Hippocrate significaretur, posset illis affectis exhiberi pharmacum, vt Hippocrates præcepit, quo tamen nihil ne cogitari quidem potest perniciosius. Non igitur tã latè patet pleuritidis significatio, neq; latus id à Vesalio excogitatũ pleuræ nomine à Græcis medicis intelligit.

QVOD si Hippocrates dixerit, si dolor ascendat, & iugulo, vel „ mammæ, vel alijs quæ supra sunt partibus communicetur. Et in qualibet etiam membranæ subtegentis costas inflammatione ad iugulum protendatur; qui idem iuguli dolor, vel tensio saltem conspici solet iecinore inflammato, qui, & sub costis & sub septo trãsuerso sedem habet, nihil in Vesalij subsidium videtur afferri; Neq; etiam cum Hippocrates dolore sub septo transuerso inclinante sanguinis detractionem omisit; hinc enim sumi non potest lateris nomine aliam præter costas regionem intelligi. siquidẽ falsò putat Vesalius grauitatem ad iugulum semper esse protensam, quæ tamen adesse nequit, nisi humor in superioribus costis reperiatur, loquitur verò Hippocrates de grauitate, non de extendente dolore, quem adesse facilè condonamus. Si igitur ab inferioribus costis humor ad superiores pellatur, is educi debet

ſanguinis edirectò miſſione. vnde id in vniuerſum fateri oportet vt humor qui in ſuperioribus eſt coſtis, illis dolorē neceſſariò, & grauitatē afferat; qui verò in inferioribus eſt, dolorem quidem afferre poteſt ſuperioribus, ſed non neceſſariò grauitatem.

INſtat verò Veſalius, & miratur quo pacto humor inferiorum coſtarum ſuperiores tentare poſsit abſq; dolore & grauitate, cùm tamen in iecinoris inflammatione, quæ remotior eſt, dolor, & grauitas illas eaſdem partes afficiant? Hic verò dicimus ex modico humore, qui inferiores coſtas obſideat, iugulum nequaquā tendi, qui tamē ex copioſo fortaſsis tenditur. Quod verò de iecinore inquit, falſum eſſe demonſtratur Gal. verbis, qui v. libro de locis affectis ægro occurrens inflāmatione iecinoris laborāti, verebatur ne falſum diceret, ſi iugulum dolere, atq; tendi pronunciaſſet, iccircò diſiunctim, & hoc pacto locutus eſt. „ Haud multo poſt iugulum ad infernas partes detrahi ſenties, niſi fortaſſe id „ iam antea tibi euenerit.

ncil. p. & l.

SED quoniā maximā mouere queſtionē ſolet id quod à Gal. dicit, qui ſuadente Hippocrate pharmacum dari cùm dolor deſcendit, contra iuſsit eſſe adhibendam ſanguinis miſsionem. Hic iure aliqua ratio reddenda eſt, cur Galenus ab Hippocratis placito videatur diſſentire. Mirati id fuere ſummi ēt viri, qui apertè Gal. contradicere Hippocrati exiſtimarunt, vt & ipſi ſupra narrauimus. Sed tamē Gal. nō aduerſatur Hippocrati; immò vero eius ſententiam moderatur, nam cū in aphoriſmis dixiſſet periculoſum eſſe pharmaca exhibere in acutis morbis; & pharmacū præterea pleuritide laborantibus exhibendum præcepiſſet, ſibi quodammodo contra dicere videbatur. Quod animaduertens Gal. ſimulq; illa non exhiberi pharmaca, niſi paratis viis, febribusque non admodum intenſis, & ægri natura cognita, ſanguinē potius mitti, quā pharmacū exhiberi conſuluit. Accedit quòd pharmaca Hippocratis tpe vehementiſsimè perturbabant; carebant.n. mitioribus illis remedijs, quæ noſtro tempore leniunt, & moderatè aluum ducunt, quæ ſi ēt adfuiſſent, cùm ea quæ ab Hippocrate enumerantur eiuſmodi nō ſint, ſermo ſuus aliquo prorſus moderamine indigebat. Hac igitur rōne ſanguinem mitti Gal. maluit, vt certū ſubſidium ex plenitudinis remotione afferretur, quod

quod certè à pharmaco vel nullum, vel multo cum damno afferri poterat. Sin verò hæ abessent rationes pharmacũ prohibẽtes, iam tutò Gal. ẽt consentiente posset exhiberi; plerũq; tamen vehementia illa pharmaca periculo non carent. Ex hac igitur interpretatione nulla inter Gal. & Hippocratẽ discordia, nulla curationis varietas, sed eadẽ prorsus curandi ratio constituitur.

Ex his igitur ea refelli possunt, quæ à Vesalio in contrarium adducuntur, in quibus reuulsionis quoq; & deriuationis rationem videtur nescire; de quibus satis superque actũ à nobis est. Perperam ẽt concedit venas pedũ in dolore lateris secari posse, reclamãte tamen Gal. vi. libro aphorismorum Cõmẽto. xxxvi. cũ inquit.
» Quod aũt dicitur, secare verò interiores, si de venis manuũ dicit,
» caret veritate, neq; confessum est Hippocrati; Videtur si quidem
» in omnibus libri suis in partibns quæ supra hæpar sunt, ex ma-
» nibus sanguinem mittere; in inferioribus verò eas quæ in genu
» vel talo sunt secari iubet. Hæc Gal. qui loquitur de vrinæ difficultate, cuius ex verbis manifestè patere potest, in dolore lateris non esse in pedibus sanguinẽ mittendum, nisi sub iecinore, quod Vesalius fecit, pleuritidẽ fieri concedamus. Minus cõcedi põt hæc in pede venæ sectio si facultas sit imbecillis, quandoquidem magis robur deijcit quàm venæ cubitorũ, ea p̃sertim ratione quòd sanguinẽ à suo fonte retrahit, & ab his visceribus quæ ex ipso vires accipiunt. Qua ratione bene consultus Auicenna hanc sanguinis misionẽ prohibuit. iiij. parte, primi libri cùm de sanguine mittendo pertractaret. Sed neq; prætereundum est literatorem quendam qui inter doctos enumeratur, locũ ex antedicto Gal. Cõmẽto pro fundamento desumpsisse, vt venæ sectionem ex opposita parte cõmendaret; inquit. n. Gal. non admodũ referre, si in genu internam vel externã venã seces, nam ab vna ambæ nascuntur; Ita igitur (inquit ille) nil refert in pleuritide directam venam cubiti vel oppositam secare; nam & hæ ab vna oriũtur. Sed licebat animaduertere eandem semper seruari rectitudinem, cùm interna vel externa in genu vena secatur, quæ non seruatur si in dolore lateris ex opposito brachio sanguis mittatur; ergo nõ eadem est ratio internæ, & externæ eiusdẽ partis venæ, & eiusdem internæ quæ diuersarum sit partium. Sed in hoc incidere

errores

errores par est, qui mercede corrupti de alienis scriptis iudicium ferunt. Nunc ad Vesalium reuersi, reliqua dicimus positis à nobis fundamentis, ac rationibus refelli posse, quæ ipsæ ob nouam hanc opinionem asseuerandam, & nostram confutandam fuerat imaginatus. Hæc verò cùm diligens lector ex sese queat intelligere, reliquum est, vt nostræ orationi hoc loco finem imponamus.

ERRATA SIC CORRIGITO.

fol. 14. *posint. possint.*
ibid. reulsio, reuulsio.
fol. 15. *non possunt. non prosunt.*
fol. 18. *oppositæ. appositæ.*
ibid. Vict. aucut. acut.
fol. 29. *intentissimus. intensissimus.*
fol. 41. *appositione. appositionem.*
ibid. eidirectò. edirectò.
ibid. humor fluatur. fluat.
fol. 43. *et loco. eo loco.*
fol. 44. *locutus uerò. locus uerò.*
ibid. inauiendas. inaniendas.
fol. 46. *in ij. libri. ij. libri.*
fol. 47. *snaguis. sanguis.*
fol. 50. *perfitientibus. proficientibus.*
fol. 52. *symopes. syncopes.*
fol. 53. *ene. eæ.*
fol. 55. *Aptuis. Aëtius*
ibid. Galeno. Galeni
ibid. quæcunq;. quacunque.

FINIS.

Registrum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Fr. Hier. Politius Cremonensis Inquisitor.